SOPHIEN-GYMNASIUM

IN

BERLIN.

II.

INHALT:

1. Quaestiones Aristoteleae. Vom Oberlehrer Dr. Dielitz.
2. Schulnachrichten. Vom Professor Dr. Paul.



BERLIN 1867.

Druck von Hermann Blanke in Berlin, Neue Promenade 4.

Philosophiae Aristoteleae systematis quo quis accuratius dialectica, physica, ethica, sive nostram secutus divisionem philosophiam quam dicimus theoreticam, practicam, aestheticam dividere vult ac certa lege disponere, eo magis hac in re haesitabit, quod Aristoteles morali philosophiae parti virtutes quasdam intellegentiae inserit et omnino virtutum species duas, alteram ethicarum, alteram dianoeticarum statuit. Quam quidem de intellectualibus virtutibus doctrinam ab Aristotele, quod sciam, uno introductam tantum abest ut recentiores philosophi secuti sint, ut ethicam aut a scientia intellegendi et cognoscendi prorsus secernendam aut dialecticae subiectivae omnino delegandam esse putaverint. Itaque operae pretium erit, rationem sane peculiarem paulo diligentius exponere, quam Aristoteles inter logicam et ethicam intercedere eo statuit, quod virtutes dianoeticas sive intellectuales virtutibus moralibus addidit atque adiunxit, utramque speciem communi generi ἀρετῆς supponendam arbitratus, idque eo magis, quod, qui adhuc unus hac de re uberius disseruit, Carolus Prantl. (Ueber die dianoetischen Tugenden in der Nicomachischen Ethik des Aristoteles; München, 1852.) a recta explanandae doctrinae ratione longe aberravisse mihi videtur. Suo iure autem vir doctus eorum opiniones refutavit, qui velut A. M. Fischer (disput. de Eth. Nicom. et Eudem. Bon. 1847.) et Ad. Th. Herm. Fritzsche (Aristotelis Ethica Eudemia. Eudemi Rhodii Ethica. Ratisbonae 1851.) demonstrare conati sunt, Ethicorum Nicom. librum sextum et septimum, quorum ille disciplinam, de qua agitur, fere solus amplectitur, non his sed Ethicis Eudemicis adnumerandos esse, itaque ea omnia, quae lib. VI. de virtutibus intellectualibus disputantur, non veram Aristoteleam, sed Eudemi doctrinam esse. Neque enim firmissima Spengelii (Abhandlungen der philosophisch-philologischen Classe der Münchener Akademie III, 2, pag. 439 sqq. pag. 500 sqq.) argumenta ex Magn. Moral. sumta reicere potuerunt, quibus ille decem Ethic. Nicom. libros integros et genuinos esse et ab ipso Aristotele profectos, Eudemicam vero Ethicam ab Eudemo discipulo eius et auditore scriptam, magna moralia

perpetuum praecipue huius commentarium essse certissime confirmavit. In quo quidem acquiescentes non dubitamus, quin virtutum dianoeticarum disciplina vera sit Aristotelea et plurimum valeat ad ethicae philosophiae eius partes planius cognoscendas.

Omnis autem antiquae ethicae systematis initium ac quasi fundamentum notio est *εὐδαιμονίας*. Quae quidem qualis sit, quomodo in vita humana effici possit, qua via ac ratione homines nati ad eam perveniamus, aliis philosophis aliter placuit. Pendet autem ex definitione huius notionis *εὐδαιμονίας* tota disciplina moralis, cum id ipsum sit summum bonum, is finis, quem homines omnes omnium virium contentione summa appetere debent, id extremum et ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda.

Recentiorum autem philosophorum plurimi et imprimis Kantius (Grundlage zu einer metaphysik der sitten, p. VIII. sqq.) eudaemoniam verum ethicae principium esse posse negavit; neque enim sufficere tale principium nostrae officii moralis cognitioni, neque sibi satis consentaneos esse, qui hoc constituissent. Etenim eudaemoniam nisi artissime cohaereret cum recta officii conscientia, nihil ad virtutem honestatemque, nihil ad bene beateque vivendum pertinere. Bonam autem animi conscientiam esse non posse, nisi officii praecepta propter se ipsa servarentur, detracta omni utilitate vel felicitate, sine ullis praemiis fructibusque. Quod quidem concedamus oportet, si eudaemonia, officii notione antea non definita, quid officium sit aut non sit, diiudicabit.

At Aristoteli eudaemoniam summum bonum esse placuit, quod sine honestate eudaemoniam homines assequi posse negat. Itaque omne ob eam unam causam homines facere voluit, quia deceat, quia rectum, quia honestum sit, etsi nullum consecuturum emolumentum videant, et non eudaemonia honestatem sed honestate eudaemoniam metiamur oportere. Itaque eudaemoniam actum esse animae definit secundum virtutem, *ψυχῆς ἐνέργειαν κατ' ἀρετήν*. Neque eum expletam undique et perfectam honestatis formam in animo habere existimat, qui tantum respiciat, utrum quis bene an male fecerit, sed eum demum, qui secum reputet, quo quid animo, quibus studiis, qua conscientia atque cogitatione factum sit: *Τὰ δὲ κατὰ τὰς ἀρετὰς γενόμενα οὐκ ἐὰν αὐτά πως ἔχῃ, δικαίως ἢ σωφρόνως πράττεται, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὁ πράττων πως ἔχων πράττῃ, πρῶτον μὲν ἐὰν εἰδώς, ἔπειτ' ἐὰν προαιρούμενος, καὶ προαιρούμενος δι' αὐτά, τὸ δὲ τρίτον καὶ ἐὰν βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχων πράττῃ.* „at quae ex virtutibus aguntur, non si ea cuiusdammodi sint, iuste aut temperanter aguntur, sed si is quoque, qui agit, quodammodo conformatus agat, ac primum quidem si sciens, deinde si consilio capto, et consilio propter ea ipsa capto, postremo si firma perpetua

et constanti voluntate agat." (Eth. Nicom. II, 3. p. 1105. A. 31. cf. etiam V, 1. p. 1129. A. 6 sq.) Itaque temperantem non eum esse dicit, qui voluptatibus abstineat, sed qui non doleat hac abstinentia III, 10 sq. et III, 13. p. 1118. B. 30. Qua in re non consentit cum Kantio, qui officium esse impulsum definit ad consilium invite captum, „nöthigung zu einem ungern übernommenen zweck." Aristoteles postulat ut honestus quisque officio libenter fungatur, ἡδέως καὶ ἀλύπως, 1120. A. 26. Porro virum bonum virtuteque praeditum actionibus virtuti consentaneis delectari docet et offendi contrariis, quemadmodum musicus ex modulatis cantibus voluptatem percipiat, malos autem et discordes graviter et moleste ferat: ὁ γὰρ σπουδαῖος, ᾗ σπουδαῖος, ταῖς κατ' ἀρετὴν πράξεσι χαίρει, ταῖς δ'ἀπὸ κακίας δυςχεραίνει, καθάπερ ὁ μουσικὸς τοῖς καλοῖς μέλεσιν ἥδεται, ἐπὶ δὲ τοῖς φαύλοις λυπεῖται. IX. 9. 1170. A. 8. Etenim hominibus qui studiosi sunt honestatis, ea sunt iucunda, quae natura et re vera iucunda sunt, i. e. virtus atque honestas: τοῖς φιλοκάλοις ἐστὶν ἡδέα τὰ φύσει ἡδέα· τοιαῦτα δ'αἱ κατ' ἀρετὴν πράξεις. I. 8. 1099. A. 13.

Quae cum philosophus multis verbis dilucide demonstraverit, tamen accuratissimum ethicae Aristoteleae existimatorem, dico Schleiermacherum, de ipso principio ita definito non recte judicasse valde miror. Scribit enim: Auch desshalb, dass er (Aristoteles) zur erreichung des höchsten den besitz äusserer güter fordert, darf er nicht anders beurtheilt werden. Denn dies hängt davon ab, dass er nicht den sittlichen werth auch in dem ruhenden der gesinnung zu finden weiss, sondern nur im beweglichen des handelns, wozu es, da bei der art wie er die sittenlehre mit der staatslehre verbindet, alles handeln nur ein bürgerliches sein kann, eines anständigen wirkungsberufes und äusserer mittel bedarf. — Immo vero ex eis, quae modo exposuimus, manifesto apparet, animum et consilium eius, qui agit, condicionem esse, sine qua nullum solis actionibus sit pretium, nullus honor, nulla denique virtus. Illud quidem vir doctissimus recte monet, non solum animum decernere, utrum honesta bonaque sit actio necne; rectam enim intellegentiam et peractionem animo consentaneam accedere oportet. Errat autem quod ab Aristotele consilium et animum despici contemnique dicit.

Hoc modo principio ethicae constituto ipsa disciplina moralis qua via ac ratione homines ad finem illum extremum et ultimum pervenire possint praescribit. Et cum omnia et studia et facta hominum ex viribus actibusque animi quasi ex fonte proveniant, primo quidem demonstrandum est, qualis esse debeat condicio uniuscuiusque partis animi humani, ut actiones ad finem propositum perveniant, qualis habitus, ut omnes animi partes absolutam quoad eius fieri possit perfectionem i. e. τὴν βελτίστην ἕξιν assequantur. Eth. Nicom. III, 7. 1114. A. 9. ὅτι ἐκ τοῦ ἐνεργεῖν περὶ ἕκαστα

αἱ ἕξεις γίνονται. cf. etiam de *ἕξεως* notione, quae Trendelenburgius exposuit de An. II, 1. p. 310 sqq. et Geschichte der Kategorienlehre p. 94 sqq. Eam autem esse virtutem rei cuiusvis, *τὴν ἀρετήν*, his verbis diserte significat: „*ἡ μὲν ἀρετὴ τελείωσίς τις· ὅταν γὰρ λάβῃ τὴν ἑαυτοῦ ἀρετήν, τότε λέγεται τέλειον ἕκαστον. ἡ δὲ κακία φθορὰ τούτου καὶ ἔκστασις.*“ Phys. VII. 3. 246. A. 13. *πᾶσα ἀρετή, οὗ ἂν ᾖ ἀρετή, αὐτό τε εὖ ἔχον ἀποτελεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ εὖ ἀποδίδωσιν, οἷον ἡ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετὴ τόν τε ὀφθαλμὸν σπουδαῖον ποιεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ. τῇ γὰρ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετῇ εὖ ὁρῶμεν κτλ.* Eth. Nicom. II, 5. 1106. A. 15.

Apparet igitur, quoniam diversis animi facultatibus diversae respondent *βελτίσται ἕξεις*, totam virtutum divisionem orituram esse e divisione psychologica. Ipsius autem animi humani discernit duas partes, alteram rationis expertem, *τὸ ἄλογον*, alteram ratione praeditam, *τὸ λόγον ἔχον*, quarum illa amplectitur et vitam vegetativam, quae hominibus cum plantis et animalibus communis est (*τὸ φυτικόν* sive *θρεπτικόν*) et partem animi in appetitu positam, *τὸ ἐπιθυμητικόν* sive *ὀρεκτικόν*. In appetitu autem, quamquam hominibus cum bestiis communis est, tamen facultas oboediendi rationi inest, ita ut etiam appetitus rationis participes fieri possint. cf. Eth. Nic. I, 13. 1102. B. 28. *φαίνεται δὴ καὶ τὸ ἄλογον διττόν· τὸ μὲν γὰρ φυτικὸν οὐδαμῶς κοινωνεῖ λόγου, τὸ δ' ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικὸν μετέχει πως, ᾗ κατήκοόν ἐστιν αὐτοῦ* (sc. *τοῦ λόγου*) *καὶ πειθαρχικόν.* Eud. II, 1. 1219, 31. *εἰ δέ τι ἐστὶν ἑτέρως τὸ ἄλογον, ἀφείσθω τοῦτο τὸ μόριον.*

Qua in re eis assentiri non possumus, qui appetitus propterea quod rationi oboedientes et obtemperantes effici possunt, *τῷ λόγον ἔχοντι* adnumerandos esse arbitrati sunt. Pergit quidem Aristoteles Eth. Nic. I, 13. 1103. A.: *εἰ δὲ χρὴ καὶ τοῦτο* (*τὸ ὀρεκτικόν*) *φάναι λόγον ἔχειν, διττὸν ἔσται καὶ τὸ λόγον ἔχον, τὸ μὲν κυρίως καὶ ἐν αὐτῷ, τὸ δὲ ὥσπερ τοῦ πατρὸς ἀκουστικόν τι*, sed haec verba recte intellecta efficere non possunt, ut ab divisione illa permultis locis ab ipso Aristotele exhibita temere recedamus. Et quod scribit 1098. A. 4. *τούτου δὲ* (sc. *τοῦ λόγον ἔχοντος*) *τὸ μὲν ὡς ἐπιπειθὲς λόγῳ, τὸ δὲ ὡς ἔχον καὶ διανοούμενον*, ipsa verba *τὸ δ' ὡς ἔχον* manifesto demonstrant, philosopho non idem et par esse *τὸ μετέχειν λόγου* et *τὸ ἔχειν λόγον*. itaque scribit Eth. Eud. II, 1. 1219. B. 30., non eodem modo duas animae partes rationis participes esse. alteram enim ut imperio, alteram vero ut obsequentiae auscultationique natam: *οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον μετέχειν λόγου ἄμφω, ἀλλὰ τὸ μὲν τῷ ἐπιτάττειν, τὸ δὲ τῷ πείθεσθαι.* Deinde duplicem quidem esse partem animae rationis participem ipse identidem dicit, velut Eth. Nic. VI, 2.; divisionem autem prorsus aliam esse infra videbimus. Quid autem quod *ἐπιθυμίαν* et *θυμὸν* partes esse *τοῦ ἀλόγου* manifesto declarat 1111. B. 12, et saepissime ethicas virtutes, i. e. appetitus rationi obtemperantes ei parti

animae adnumerat, quae per se sola rationis expers est? Eth. Eud. 1220. A. 10: αἱ δ' ἠθικαὶ (sc. ἀρεταὶ) τοῦ ἀλόγου. cf. quoque 1221. B. 30.

Animadvertendum etiam est, Aristotelem in libris quos de anima scripsit, partem animae appetentem (τὸ ὀρεκτικόν) plerumque nominare sensitivam (τὸ αἰσθητικόν). Utraque autem notione rem eandem significat, neque enim homini sensus esse potest sine appetitu, neque appetitus cogitari potest sine sensu, ut ipse ait de an. II, 2: εἰ δ' αἴσθησιν (ἔχει), καὶ φαντασίαν καὶ ὄρεξιν, ὅπου γὰρ αἴσθησις, καὶ λύπη τε καὶ ἡδονή, ὅπου δὲ ταῦτα, ἐξ ἀνάγκης καὶ ἐπιθυμία. 413. B. 22.

Iam si quaerimus, quae virtutes his animae humanae partibus respondeant, apparet primo quidem facultatem animae vegetativam, τὸ θρεπτικόν, virtutem propriam habere non posse, quia nihil valeat ad actiones hominum conformandas vel corrigendas. cf. 1144. A. 9—1102. B. 12. Ea autem vis animorum atque naturae, quae est in appetitu posita (τὸ ὀρεκτικόν), quae libidines et cupiditates (τὰ πάθη) complectitur, huc illuc homines raperet et ad corporis voluptates actionesque homine indignas committendas alliceret, nisi rationis particeps esse posset. Quod cum accidit, e ratione (λόγος) et appetitu (ὄρεξις) nascitur consilium captum (προαίρεσις, Willensentschliessung). Hoc enim actionis principium vel causa efficiens, unde motus proficiscitur, non cuius gratia res agitur: πράξεως ἀρχὴ ἡ προαίρεσις ὅθεν ἡ κίνησις. 1139. A. 31. Hanc autem facultatem unam oboediendi rationi τὸ ὀρεκτικόν continua exercitatione (ἐνεργείᾳ) sensim pedetentimque ad habitum immobilem atque constantem (ἕξιν) excolere et conformare potest. Sic tres illae animi nostri formae et species, τὰ τρία ἐν τῇ ψυχῇ γινόμενα πάθη, δυνάμεις, ἕξεις, progressu psychologico et quasi antecessione quadam inter se conjunguntur. Hic autem habitus, qui efficit ut homo ratione congruente et conspirante cum appetitu, consilium rectum et bonum capiat, optimus est ad finem illum assequendum homini ut supra exposuimus propositum, id est, felicitatem summam et absolutam atque ob eam ipsam causam idem habitus propria est et vera suae partis (sc. τοῦ ἐπιθυμητικοῦ) virtus sive ἡ ἀρετή. Hanc virtutem consuetudine moribusque confirmandam et excolendam Aristoteles nominat ἀρετὴν ἠθικήν, virtutem moralem. cf. II, 1. 1103. A. 17.: ἡ δ' ἠθικὴ ἐξ ἔθους περιγίνεται, ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔσχηκε μικρὸν παρεκκλῖνον ἀπὸ τοῦ ἔθους.

Itaque jam definitionem virtutis habemus non nisi formalem. Est enim rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Sed addit quoque, qualia esse debeant praecepta rationis. Virtus enim, quae ad mores pertinet, in perturbationibus (πάθη) et actionibus (πράξεις) versatur, in quibus est et nimium et parum et mediocritas. (αὕτη γάρ ἐστι περὶ πάθη καὶ πράξεις, ἐν δὲ τούτοις ἔστιν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις καὶ τὸ μέσον.) Ratio (ὀρθὸς λόγος) autem nimium et parum

fugit, mediocritatem, quae aequaliter abest ab utroque extremo, exquirit atque hanc exoptat et tum demum bene suum munus explet et absolvit, cum eam in unaquaque re sibi ante oculos proponit, ad eam tamquam normam sua opera revocat ac dirigit. Est ergo virtus mediocritas quaedam, non rei (*κατ' αὐτὸ τὸ πρᾶγμα*), sed quatenus ad nos i. e. agentes pertineat (*πρὸς ἡμᾶς*), quam veluti signum quoddam sibi propositum petat. Eth. Nic. II, 5. 1106. B.)

Cui virtutis definitioni si ea adjungimus quae in formalem partem ab Aristotele de hac notione dicta esse modo commemoravimus, philosopho virtutem esse habitum apparet ad consilium agendi capiendum aptum et expeditum, in ea mediocritate positum quae ad nos comparatur, quaeque ratione est definita et ut prudens definiat: *ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν.* II, 6. 1106. B. 36.

Quodsi postulat, ut pars animi in appetitu et cupiditate posita rationi obtemperet atque mediocritatem in rebus omnibus teneat, etsi omnis virtutum moralium vis ab hac temperantia pendet, officium munusque rationis esse oportet, uniuscuiusque et affectus et actionis quid medium sit et rectum et bonum cognoscere et ostendere. Quae cum ita sint, Aristoteles in ethicis facere non potuit quin de parte animae rationem complectente (*τὸ λόγον ἔχον*) et de optimo eius habitu, i. e. de virtute intellectuali ageret, id quod lib. VI. Eth. Nic. fecit.

Aristoteles autem has virtutes nominat *ἀρετὰς διανοητικάς*, quia notio *διανοίας* totam rationis (*τοῦ λόγον ἔχοντος*) vim et facultatem amplectitur, quamobrem idem etiam *τὸν ὀρθὸν λόγον* esse significat, nam recta ratio nihil est nisi eiusdem virtus (*ἀρετή*). Itaque Micheletus (Conspectus edit. Eth. Nicom. Berol. 1848. lib. VI. c. 1.) suo jure dicit: „rectam rationem definire nihil aliud est quam de virtutibus cogitationis exponere.“

Ipsam autem de virtutibus dianoeticis quaestionem Eth. Nic. lib. VI. ineunte hunc in modum instituit, ut hae virtutes omnes nisi ad mediocritatem rectam virtutibus ethicis definiendam et constituendam valere non videantur: „Quoniam supra diximus medium esse deligendum, non nimium neque parum, medium autem ita esse, ut recta ratio (*ὁ λόγος ὁ ὀρθός*) praescribat, de hoc distinctius disseramus.“ „Atque animi quidem virtutes ita distribuimus, ut alias morum, alias cogitationis esse diceremus. Eas igitur, quae ad mores pertinent, persecuti sumus: de ceteris nunc disseramus.“ Haec verba, in initio lib. VI. posita, ad eam quam modo diximus, sententiam perducere posse, ut re vera saepius perduxerunt, nemo negabit. Tamen eam non veram Aristoteleam de virtutibus dianoeticis doctrinam esse postea videbimus, quarum nonnullae quidem aut omnino aut partim non ad philosophiam activam con-

ferendae sint neque officii et bene vivendi praecepta contineant, sed ad philosophiam contemplativam spectent et in sola cognitione et aestimatione positae sint. Quod ex metaphysica Aristotelis doctrina iam per se et necessario sequitur. Etenim ad *εὐδαιμονίαν*, ad summum finem natura ipsa impositum pervenire homo non potest nisi a *δυνάμει* tendat ad suam *ἐνέργειαν*, cum tota rerum natura, etiam unaquaeque res et unumquidque animans pro se percurrat hanc viam necesse sit, si optimum suum habitum (*τὴν βελτίστην ἕξιν*) assequi vult. Hominis autem propria *ἐνέργεια* in cogitandi facultate, in ratione posita est; cuius *ἐνέργεια* est duplex, altior autem *ἡ ἐνέργεια τοῦ ἐπιστημονικοῦ*, quae est proxima puro illi actui divino, *νοήσει νοήσεως*.

Sunt enim duae partes animi, quatenus rationem teneat (*τοῦ λόγον ἔχοντος*), quarum altera ad ipsa rerum principia spectat et materia non tacta ideas et formas divinae naturae insitas secum volvit. Hae autem vicissitudini temporis atque spatii non subiectae, immotae manent et immobiles, cum principia sese aliter habere non possint, *ὅσων αἱ ἀρχαὶ μὴ ἐνδέχονται ἄλλως ἔχειν*. (1139. a. 7.) Eam animi facultatem *τὸ ἐπιστημονικὸν* appellat, quae autem ei subiectae sunt ideae et formae rerum immutabiles, et imprimis ipsa cogitatio, cuius neque est corruptio neque generatio, *τὸ ἐπιστητόν*. cf. Metaph. VI, 15. 1039. b. 24. *ἡ τοῦ λόγου οὐσία οὐκ ἔστιν οὕτως ὥςτε φθείρεσθαι· οὐδὲ γὰρ γένεσις*.

Altera autem animae rationalis facultas ad res spectat quae etiam aliter se habere possunt et aliter se habent, *τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν*, scilicet res veras, quae et esse possunt et non esse, ideoque cum corpore cohaerent et cum materia: *ἡ τῆς ὕλης φύσις τοιαύτη, ὥςτ᾽ ἐνδέχεσθαι καὶ εἶναι καὶ μή*. (1039. b. 30.) cf. X, 8. 1178. a. 14. Quoniam autem quod aliter sese habere potest, idem est atque id, cuius principium penes nos est, i. e. quod sub nostram deliberationem vel consultationem (*βούλευσις*) et opinionem (*δόξα*) cadit, Aristoteles hanc animae facultatem *τὸ λογιστικόν* et *βουλευτικόν* sive *δοξαστικόν* nominavit: *βουλεύεται περὶ τοῦ ἐσομένου καὶ ἐνδεχομένου*. 1139. b. 7. et *δόξα ἐστὶ τοῦ ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν*. 1039. b. 34. cf. VI, 5. 1140. b. 26. Duo autem sunt actionum humanarum genera, quae quidem ad haec *ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν* pertineant, alterum *τοῦ ποιεῖν*, alterum *τοῦ πράττειν*, quorum illi praeter actionem ipsam aliqui sunt fines et opera ipsis actionibus meliora, huic autem nihil nisi ipsa muneris functio. (Nic. Eth. I, 1. *τὰ μὲν γάρ εἰσιν ἐνέργειαι, τὰ δὲ παρ᾽ αὐτὰς ἔργα τινά*.) Itaque quoniam *τὸ βουλευτικόν* spectare potest aut *πρακτά* aut *ποιητά* et alteri generi rerum cognitioni subiectarum respondet altera animae rationalis facultas, ex similitudine quadam atque affinitate eis cognitio duplex comparatur: *καθ᾽ ὁμοιότητά τινα καὶ οἰκειότητα ἡ γνῶσις ὑπάρχει αὐτοῖς*. 1139. a. 10. cf. de Anim. III, 2. 427. a. 28. (cognoscimus *τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον*.) Itaque quod Aristoteles de *διανοίᾳ* dicit Metaph. V, 1.:

πᾶσα διάνοια ἢ πρακτικὴ ἢ ποιητικὴ ἢ θεωρητική, tantum abest ut divisioni illi bipartitae, unde ethicam proficisci demonstravimus, non respondeat ut eam ipsam Eth. Nic. 1139. a. 27. adsciscat et comprobet. (*αὕτη μὲν οὖν ἡ διάνοια καὶ ἡ ἀλήθεια πρακτική, τῆς δὲ θεωρητικῆς διανοίας καὶ μὴ πρακτικῆς μηδὲ ποιητικῆς τὸ εὖ καὶ κακῶς τἀληθές ἐστι καὶ ψεῦδος.*) Quae tres facultatis rationalis partes quantum ad virtutes dianoeticas recte intellegendas et disponendas valeant, si virtutes ipsas paulo diligentius examinaverimus, manifesto elucebit.

Ceterum iam nunc apparet ex metaphysica Aristotelis sententia, etiam eam animae partem, quam *τὸ ἐπιστημονικόν* philosophus nominat, si de optimo animae habitu agitur, sine quo eudaemonia esse non potest, ad energiam suam et perfectionem summam adduci oportere. Ambas enim animae facultates, et *τὸ ἐπιστημονικόν* et *τὸ λογιστικόν*, et theoriam et actionem moralem, ita inter se coniunctas esse necesse est, ut neque agentes divinae nostrae partis obliviscamur, quae ipsis actionibus leges imponit et quid verum quid falsum sit aestimat atque diiudicat, neque speculationi dediti ab ethicis actionibus et communi omnium salute recedamus, immo *τὸ ἐπιστημονικόν* quae sit agendi norma, quae agendi regula atque praescriptio inquirit et docet. Itaque suo jure philosophus doctrinam de virtutibus dianoeticis artissime cum virtutibus ethicis coniungendam esse statuit. Quin etiam non nisi illis adiunctis moralis virtus ad suam perfectionem et energiam pervenire potest. Veram enim virtutem eam *ἕξιν* esse iam antea vidimus, qua non solum secundum rationem factum sit et caeci affectus et impetus quamquam inviti rationis praeceptis obtemperent, sed etiam ita factum sit, ut ipsi affectus cum ratione plane consentiant, ut et *τὸ ὀρεκτικόν* et *ὁ λόγος* omnino inter se congruant. Itaque si virtus facta est manens et immobilis habitus constantia, *καρτερίᾳ*, et temperantia, *ἐγκρατείᾳ* (lib. VII.) confirmatus, tum demum homo ad purum actum materia liberatum, ad *βίον θεωρητικόν*, pervenire potest, quem omnibus ethicis virtutibus praestare dicit. Qua quidem in re assentiri non possumus, quod Schleiermacher. dicit (l. l. p. 126): „es ist ein missverstand des Aristoteles, welcher unterscheidet zwischen schönen handlungen und den schönsten, und keine eudaemonie anerkennt ohne ein „vollständiges leben.“ Verum quidem esse demonstrare tentavimus, Aristotelem duas agendi rationes proponere, quarum alteri altera praestet, bonas quidem esse actiones secundum rationem, meliorem vitam theoriae deditam. Falsum autem est, quod vir doctissimus inde colligit, agendi principium et normam non unam constitutam esse. Tantum enim abest ut morales hominis actiones a vita theoretica separari possint, ut haec demum agendi normam constituat.

Itaque commune et proprium omnium dianoeticarum virtutum opus esse apparet quid verum sit perspicere et explorare: *ἀμφοτέρων δὲ τῶν νοητικῶν μορίων ἀλήθεια*

τὸ ἔργον. 1139. b. 12. cf. Eth. Eud. 1221. b. 29: *διανοητικαί, ὧν ἔργον ἀλήθεια.* Neque dianoeticae ut ethicae virtutes mediocritatem rectam inter parum et nimium spectant, cum parum et nimium cogitari non possit, ubi de veritate cognoscenda agitur: *ἡ ἀρετὴ τοῦ μέσου ἂν εἴη στοχαστική. λέγω δὲ τὴν ἠθικήν.* 1106. B. 15. cf. 1109. A. 10. Itaque parum accurate *τὴν φρόνησιν* medium esse dicit inter *εὐήθειαν* et *πανουργίαν* Eth. Eud. 1221. A. 12. Neque enim *πανουργίαν* significare nimiam esse agentis prudentiam, sed agendi finem et scopum turpem esse et nefarium recte Ritterus monuit (hist. philos. III. p. 344.) cf. Eth. Nic. VI, 13. 1144. A. 27. Eud. V, 12. Qua in re mirum quantum a recta intellegendi ratione aberravit Garve (Uebersetzung der Nicomachischen ethik, einleitung p. 8.), quod Aristoteleae definitionis inconstantiam et levitatem vituperans dicit: „Giebt es nicht bestrebungen, welche, wäre es möglich, in's unendliche fortgesetzt, untadelhaft und selbst im höchsten grade löblich sein würden? Allerdings giebt es solche bestrebungen. Es ist kein grund vorhanden, warum wir in erwerbung richtiger einsichten eine mässigung beobachten sollten."

Iam si quaerimus, quo munere unaquaeque animi vis atque facultas perfungi debeat, ut eam quam modo adumbravimus, optimam et perfectam animi condicionem (*τὴν βελτίστην ἕξιν*) assequi ipsamque regulam, qua vera et falsa diiudicentur, constituere et summum totius philosophiae ethicae principium definire possimus, primum quidem ad indagandam veritatem opus est scientia, *τῇ ἐπιστήμῃ*, quae omnes cogitationes nostras ad leges rationis dirigat et dialectia intellegendi vi ab errore prohibeat. Omnis autem scientiae vis et natura posita est in demonstratione (*ἀπόδειξις, ἕξις ἀποδεικτική*), quae ex praecognitis docet (*διὰ προγινωσκομένων*). Haec vero ante cognita aut singularia sunt sive particularia, aut generalia. Si sunt singularia, cognitio proficiscitur ab eis, quae n o b i s notiora et priora sunt (*πρότερα καὶ γνωριμώτερα πρὸς ἡμᾶς*), sin generalia, quae rebus ipsis cognitioni nostrae subiectis natura priora sunt: *λέγω δὲ πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ πόῤῥώτερα. ἔστι δὲ πόῤῥωτάτω μὲν τὰ καθόλου μάλιστα, ἐγγυτάτω δὲ τὰ καθ' ἕκαστα.* Analyt. post. I, 2. 72. A. 1. cf. Eth. Nic. I, 2. illa demonstratio per inductionem efficitur (*ἐπαγωγῇ*), haec syllogismo, quorum cognitionis generum hoc proprie demonstratio dicitur Analyt. post. I, 18. 81. A. 40: *μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει. ἔστι δ' ἡ μὲν ἀπόδειξις ἐκ τῶν καθόλου, ἡ δ' ἐπαγωγὴ ἐκ τῶν κατὰ μέρος.* I, 4. 73. A. 24: *ἐξ ἀναγκαίων ἄρα συλλογισμός ἐστιν ἡ ἀπόδειξις.* Sed non unusquisque syllogismus, etiamsi per se quidem rectus est, etiam veritatem efficit. Etenim non nisi ex veris et primis et immediatis propositis, *ἐκ πρώτων καὶ ἀμέσων*, scientia demonstrativa esse potest, syllogismus autem etiam sine his: *συλλογισμὸς μὲν γὰρ ἔσται καὶ ἄνευ τούτων, ἀπόδειξις δ' οὐκ ἔσται. οὐ γὰρ ποιήσει ἐπιστήμην.* Analyt. post. II, 2. 71. B. 23.

Nam cum omni cognitioni, sive fit inductione sive syllogismo, esse debeat *πρότερον* aut *φύσει* aut *πρὸς ἡμᾶς*, in hac serie perceptionum, quae a priore ducit ad prius, tandem perveniamus necesse est ad principia cognitionis ultima et extrema, *τὸ πρῶτον*. principium autem demonstrationis est propositio immediata i. e. qua non est alia prior. ex immediatis autem principiis syllogisticis thesim sive positionem appellat eam, quam non licet demonstrare. cf. Analyt. post. I, 2. 72. A. 6: *ταὐτὸ γὰρ λέγω πρῶτον καὶ ἀρχήν· ἀρχὴ δ' ἐστιν ἀποδείξεως πρότασις ἄμεσος, ἄμεσος δ' ἧς μή ἐστιν ἄλλη προτέρα.* cf. Eth. Nic. 1139. B. 29: *εἰσὶν ἄρα ἀρχαί, ἐξ ὧν ὁ συλλογισμός, ὧν οὐκ ἔστι συλλογισμός.* Haec principia, quae demonstrari nequeunt, quae communia sunt totius philosophiae initia et fundamenta, tangit quodammodo atque deprehendit *ὁ νοῦς* (Metaph. XII, 7. 1072. B. 20.), quapropter *ἐπιστήμης ἀρχή* dicitur Analyt. post. I, 33. 88. B. 36.

Qui quomodo principia deprehendere et percipere possit et quomodo cum ceteris animi facultatibus coniunctus sit, Aristoteles nusquam exposuit. Sed quae propria est eius actio, *τὸ νοεῖν*, simili discrimine separatam esse a notione *τοῦ διανοεῖσθαι* ac nostrum contemplativum cognoscendi genus a discursivo, Bonitzius monuit ad Met. III, 7. 1012. A. 1.

Haec igitur principia, quae ratio humana demonstrare non potest, tamen ipsa ratione comprehenduntur, neque per nos parta sed quasi divinitus ad nos delata sunt: *λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον,* De gen. an. II, 3. 736. B. 27. cf. etiam Eth. Eud. VII, 14: 1248. A. 24: *τὸ δὲ ζητούμενον τοῦτ' ἔστι, τίς ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ ἐν τῇ ψυχῇ. δῆλον δή, ὥσπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεός, καὶ πᾶν ἐκείνῳ. κινεῖ γάρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. λόγου δ' ἀρχὴ οὐ λόγος, ἀλλά τι κρεῖττον. τί οὖν ἂν κρεῖττον καὶ ἐπιστήμης εἴποι πλὴν θεός;*

Itaque omnis veritatis fides in principiis cognoscendis posita est, sine quibus neque scientia esse neque ad perfectionem absolutionemque aut agendi aut cogitandi perveniri potest.

Intellectum igitur, *τὸν νοῦν*, Aristoteles in virtutibus intellectualibus collocavit, utpote qui ipsas et veritatis et pulchritudinis et honestatis species summas cogitatione concipiat et animo informet et extremum quasi finem et scopum proponat, ad quem contendat *ἡ διάνοια θεωρητική, ποιητική, πρακτική.* hae autem *διάνοιαι* optimum suum quaeque habitum, *τὴν βελτίστην ἕξιν*, assequi non possunt, nisi intellectus ducit ac dirigit. est enim intellectus *ἡ ἀρετὴ ἐπιτακτική* omnium virtutum dianoeticarum. Intellectum autem, quatenus virtus *διανοίας* dicitur, ipsum esse habitum, complures loci manifesto ostendunt, veluti Analyt. post. II, 19. 100. B. 5: *ἐπεὶ δὴ τῶν περὶ τὴν διάνοιαν ἕξεων, αἷς ἀληθεύομεν, αἱ μὲν ἀεὶ ἀληθεῖς εἰσίν, αἱ δὲ ἐπιδέχονται τὸ*

ψεῦδος, οἷον δόξα καὶ λογισμός, ἀληθῆ δ' ἀεὶ ἐπιστήμη καὶ νοῦς. cf. de Anim. III, 5. 430. A. 15.

Iam ex iis quae de principiis cognoscendis exposuimus, non eandem rationem intercedere τῷ λογιστικῷ cum intellectus vi et τῷ ἐπιστημονικῷ dilucide apparet. Illud enim quoniam ad res deliberandas et consultandas spectat et ad singularia tantummodo pertinet, quae etiam aliter se habere possunt (τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν), non perscrutatur principia, sed ut proposita et concessa accipit et comprobat, hoc autem ita cum intellectu coniunctum est, ut eum partem sui ipsius esse agnoscat, neque optimum suum habitum et βελτίστην ἕξιν assequatur, nisi proprio suo muneri, quod in veritate argumentis ratione conclusis impetranda positum est, ipsa principia animo concepta addat et adiungat. Tum demum ad ἀρετὴν τοῦ ἐπιστημονικοῦ pervenimus, quam Aristoteles sapientiam, σοφίαν, appellat. Altera autem pars τοῦ ἐπιστημονικοῦ, quam primam virtutem dianoeticam esse supra demonstravimus, scientia quamquam et ipsa de veritate cognoscenda agit, tamen ex principiis propositis argumentatur et concludit consequentia. ubi scientia finem habet et conquiescit, incipit intellectus. sapientia autem e scientia et intellectu est composita. cf. Eth. Nic. VI, 7. 1141. A. 18: εἴη ἂν ἡ σοφία καὶ νοῦς καὶ ἐπιστήμη. Magn. Moral. 1197. A. 23: ἡ σοφία ἐστὶν ἐξ ἐπιστήμης καὶ νοῦ συγκειμένη. Itaque omnis scientiae humanae Aristoteli summa est perfectio, et quasi capitis instar obtinens: ὥςτ' εἴη ἂν ἡ σοφία καὶ νοῦς καὶ ἐπιστήμη, ὥςπερ κεφαλὴν ἔχουσα ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων. l. l. 19. neque aliter Met. I, 2. 982. B. 4. Sapientiam, quam esse ἐπιστήμην περί τινας αἰτίας καὶ ἀρχάς dicit, omnibus scientiis praeesse demonstrat: ἀρχικωτάτη δὲ τῶν ἐπιστημῶν, καὶ μᾶλλον ἀρχικὴ τῆς ὑπηρετούσης, ἡ γνωρίζουσα τίνος ἕνεκέν ἐστι πρακτέον ἕκαστον. τοῦτο δ' ἔστι τἀγαθὸν ἐν ἑκάστοις, ὅλως δὲ τὸ ἄριστον ἐν τῇ φύσει πάσῃ. et paullo infra: „καὶ γὰρ τἀγαθὸν καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἓν τῶν αἰτίων ἐστίν." Sed quamquam scientia nisi primis principiis nititur iisdemque confirmatur, auctore Aristotele neque vera virtus est neque ἐπιστήμη appellanda, tamen σοφία non omnem et totam scientiam complectitur, sed eam tantummodo, quae optimas et pulcherrimas ideas respicit atque summam rerum speciem sequitur: ὑπολαμβάνομεν δὴ πρῶτον μὲν ἐπίστασθαι πάντα τὸν σοφὸν ὡς ἐνδέχεται, μὴ καθ' ἕκαστα ἔχοντα ἐπιστήμην αὐτῶν. εἶτα τὸν τὰ χαλεπὰ γνῶναι δυνάμενον καὶ μὴ ῥᾴδια γιγνώσκειν ἀνθρώπῳ, τοῦτον σοφόν. ἔτι τὸν ἀκριβέστερον καὶ διδασκαλικώτερον τῶν αἰτίων σοφώτερον εἶναι περὶ πᾶσαν ἐπιστήμην. Metaph. I, 2. 982. A. 8. Et eandem ob causam Eth. Nic. 1141. A. 2 dicit: τοῦ σοφοῦ περὶ ἐνίων ἔχειν ἀπόδειξίν ἐστιν· quid autem significet περὶ ἐνίων, sc. res summas, τὰ τιμιώτατα, elucet ex eis quae sequuntur 1141. A. 19. B. 3. Sapientia autem, quoniam pertinet ad res remotissimas a sensibus et maxime universales, difficillima hominibus sit cognitu necesse est: χαλεπώτατα τὰ μάλιστα καθόλου.

πορρωτάτω γὰρ τῶν αἰσθήσεών ἐστιν. ἀκριβέσταται δὲ τῶν ἐπιστημῶν αἱ μάλιστα τῶν πρώτων εἰσίν. Metaph. 982. A. 25. cf. Eth. Nic. 1141. A. 16: *ἡ ἀκριβεστάτη ἂν τῶν ἐπιστημῶν εἴη ἡ σοφία.*

Itaque *τὸ ἐπιστημονικόν* complectitur tres virtutes dianoeticas vel animi facultates, quibus animus verum enuntiat, *οἷς ἀληθεύει ἡ ψυχή.* 1139. B. 15. Ea autem vis et natura est *τοῦ ἐπιτστημονικοῦ*, ut non ad agendum sed ad cogitandum tantummodo pertineat, verum igitur, quod invenit et efficit, in *θεωρίᾳ* positum sit et finibus *τοῦ νοητοῦ* circumscriptum et universale, sicut omnino notio universalior quam res singulares. Sed iam supra commemoravimus, veritatem illam ut ita dicam theoreticam ad vitae usum conferendam esse, neque rationem humanam de vita et moribus rebusque bonis et malis, de officiis et summo bono vitae nostrae proposito recte diiudicare posse, nisi in rerum contemplatione versata ad ipsa principia et fundamenta pervenerit et his quasi normis et regulis utatur, ad quas totius bene vivendi disciplinae praecepta dirigantur. Scientia autem simili ratione conexa et coniuncta est cum ea facultate animi, quam Aristoteles appellat *τὸ λογιστικόν*, quippe quae principia illa intellectu concepta explicet et ad vitam humanam, ad artes litterasque transferat et rebus ipsis accommodet. Sic scientia est, quae disciplinam ethicam et aestheticam conformat et excolit, quarum utraque quantum valeat ad bene beateque vivendum ipse philosophus docet Eth. Nic. II, 2. 1103. B. 26: *ἡ παροῦσα πραγματεία οὐ θεωρίας ἕνεκά ἐστιν, ὥσπερ αἱ ἄλλαι. οὐ γὰρ ἵν' εἰδῶμεν τί ἐστιν ἡ ἀρετὴ σκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα.*

Iam cum ad eas virtutes dianoeticas transeamus, quae *ἐν τῷ λογιστικῷ* versantur, primum quidem eae inspiciendae sunt, quae ad *διάνοιαν πρακτικήν* pertinent. Quaeritur autem num re vera esse possit virtus intellectualis ad actiones et opera externa pertinens, si quidem virtutes *τοῦ ἐπιστημονικοῦ*, quae sit agendi regula et principium summum, definiunt. Nam ethicarum virtutum, non intellectualium est efficere ut cupiditates normae ita constitutae obtemperent. At iam supra adumbravimus, omnis scientiae certos esse fines, quos excedere nequeat. Itaque si a principiis positis atque concessis et notionibus universalibus descendimus ad res singulares, *τὰ καθ' ἕκαστα, τὰ ἔσχατα*, quae mutationi obnoxiae sunt, apparet eas et ipsas perinde ac principia demonstrari non posse. Cognoscuntur quidem et describuntur, certis argumentis definiri non possunt: *τῶν οὐσιῶν τῶν αἰσθητῶν τῶν καθ' ἕκαστα οὔθ' ὁρισμὸς οὔτ' ἀπόδειξίς ἐστιν, ὅτι ἔχουσιν ὕλην, ἧς ἡ φύσις τοιαύτη, ὥστ' ἐνδέχεσθαι καὶ εἶναι καὶ μή.* Met. VI, 15. 1039. B. 28. Hic igitur ad fines scientiae pervenimus, utpote quae eas tantum res complectatur, quae necessario sunt. singularia autem, *τὰ καθ' ἕκαστα*, et esse possunt et non esse. cf. Eth. Nic. 1139. B. 21: *ὅταν ἔξω τοῦ θεωρεῖν γένηται, λανθάνει,*

εἰ ἔστιν ἢ μή. eorum autem cum sit corruptio et generatio (*τούτων ἔστιν φθορά, καὶ γὰρ γένεσις.* Met. 1039. B. 23) certiores fieri non possumus utrum sint necne, neque qualia sint: *ἄδηλα γὰρ τὰ φθειρόμενα τοῖς ἔχουσι τὴν ἐπιστήμην, ὅταν ἐκ τῆς αἰσθήσεως ἀπέλθῃ.* Met. 1040. A. 2. Sed cum actiones hominum non nisi ad haec singularia pertineant (*ἔστι δὲ τῶν καθ' ἕκαστα καὶ τῶν ἐσχάτων πάντα τὰ πρακτά.* Eth. 1143. a. 32.) etiam virtute intellectuali opus est ad rectam rerum singularium consultationem et deliberationem.

Comparat autem saepius Aristoteles deliberationem, quae actionibus nostris antecedit, cum syllogismo, cuius propositio prima praeceptum generale ratione constitutum continet, *ὅτι δεῖ τὸν τοιοῦτον τὸ τοιόνδε πράττειν,* assumptio autem, *ὅτι τόδε τὸ νῦν τοιόνδε, κἀγὼ δὲ τοιόςδε* (De Anim. III, 11. 434. a. 18.), e quibus conclusio docet quomodo sit agendum. Tres autem illae virtutes dianoeticae, quas perscrutati sumus, quasi propositionem primam syllogismorum constituunt. Nam cum opiniones aliae sint de rebus universis, aliae de singularibus, quarum sensus arbiter ac dominus est, necesse est, ubi ex duabus una effecta sit, in iis quidem, quae sunt cognitionis, animum id quod conclusum est, enuntiare et affirmare, in iis autem, quae sub actionem veniúnt, statim agere: *ἡ μὲν γὰρ καθόλου δόξα, ἡ δὲ ἑτέρα περὶ τῶν καθ' ἕκαστα.* Eth. Nic. VII, 5. 1147. A. 25. propositio rem alteram neque universam esse neque similem vim habere ad scientiam efficiendam paullo infra affirmat: *μὴ καθόλου μηδ' ἐπιστημονικὸν ὁμοίως.* 1147. B. 13.

Singularia autem cum neque scientia neque sapientia neque intellectus complectatur, alia virtute dianoetica opus est, quae de rebus singulis deliberet ac decernat. etenim *αὕτη κινεῖ ἡ δόξα,* sc. *ἡ τοῦ καθ' ἕκαστα, οὐχ ἡ καθόλου.* de Anim. III, 11. 334. A. 19.

Sed antequam de rebus singularibus deliberare possimus, eae ipsae recte cognoscantur oportet, quod fieri non potest nisi perceptione quadam, quae ei similis est, cuius opera intellectus immutabilia scientiarum principia percipit. Aristoteles igitur ab intellectu theoretico, de quo iam diximus, intellectum practicum discernit: *ὁ νοῦς τῶν ἐσχάτων ἐπ' ἀμφότερα, καὶ γὰρ τῶν πρώτων ὅρων καὶ τῶν ἐσχάτων νοῦς ἐστὶ καὶ οὐ λόγος.* Eth. Nic. VI, 12. 1143. A. 35. cf. de Anim. I, 2: *ὁ κατὰ τὴν φρόνησιν καλούμενος νοῦς.* Hic autem *νοῦς πρακτικός* proponit actionibus nostris finem et quasi scopum, quem appetere debemus, si eudaemoniae participes fieri volumus, et dirigit voluntatem, ut ad eum perveniamus. cf. de Anim. III, 10. 433. A. 14. *νοῦς ὁ ἕνεκά του λογιζόμενος καὶ ὁ πρακτικός. διαφέρει δὲ τοῦ θεωρητικοῦ τῷ τέλει, καὶ ἡ ὄρεξις ἕνεκά του πᾶσα· οὗ γὰρ ἡ ὄρεξις, αὕτη ἀρχὴ τῆς πράξεως.*

Versatur igitur in artibus ad agendum utilibus et in rebus singularibus, quae

esse et non esse possunt: ὁ δὲ ἐν ταῖς πρακτικαῖς τοῦ ἐσχάτου καὶ τοῦ ἐνδεχομένου καὶ τῆς ἑτέρας προτάσεως. ἀρχαὶ γὰρ τοῦ οὗ ἕνεκα αὗται. ἐκ τῶν καθ' ἕκαστα γὰρ τὸ καθόλου. τούτων οὖν (sc. τοῦ ἐσχάτου) ἔχειν δεῖ αἴσθησιν, αὕτη δ' ἐστὶ νοῦς. Eth. N. VI, 12. 1143. B. 2. Nemo autem dubitare potest quin hic intellectus practicus summi sit momenti ad bene beateque vivendum et summo iure a philosopho virtutibus dianoeticis adnumeretur. Quoniam autem ad singulas vitae cotidianae res pertinet, αἴσθησις appellatur et ἐκ τῆς ἐμπειρίας ὄμμα. est enim quasi oculus quidam, quo homo usu edoctus et peritus quid in unaquaque re sit rectum aut falsum, quid fortuitum et in casu positum aut necessarium et substantiale perspicere potest ac cognoscere. Qui in rebus singulis rectum semper sequitur, et neglectis fortuitis necessaria et ad rem pertinentia petit, is universum quoque et summum finem vitae nostrae propositum assequetur. nam ex singularibus oriuntur et constant universa: ἐκ τῶν καθ' ἕκαστα γὰρ τὸ καθόλου. Itaque omnium actionum finis vel principium, ἡ ἀρχὴ τῆς πράξεως, aut singulare est et proximum aut universum. quid autem significet ἀρχή sive αἴτιον, ipse in hunc modum explicat Met. I, 3: τὰ δ' αἴτια λέγεται τετραχῶς· ὧν μίαν μὲν αἰτίαν φαμὲν εἶναι τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι (ἀνάγεται γὰρ τὸ διὰ τί εἰς τὸν λόγον ἔσχατον, αἴτιον δὲ καὶ ἀρχὴ τὸ διὰ τί πρῶτον), ἑτέραν δὲ τὴν ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον, τρίτην δὲ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ, τὸ οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν. τέλος γὰρ γενέσεως καὶ κινήσεως πάσης τοῦτ' ἐστίν.

Itaque quatuor sunt causae vel principia, ipsa idea aut causa formalis („der schöpferische begriff, das urbild des geistes, nach dem das materielle gestaltet wird, die form, die die materie beherrscht." Trendelenburg, Mus. Rhen. 1828. p. 471. cf. Metaph. VI, 11. ἡ οὐσία γάρ ἐστι τὸ εἶδος τὸ ἐνόν. Phys. II, 3. τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα), causa materialis, causa efficiens, causa finalis. Quarum prima et ultima, si ad actiones morales adhibemus, quibus ipsa εὐπραξία finis et principium est, adeo idem significant ut discerni iam non possint. cf. de Gen. anim. I, 1: τό τε οὗ ἕνεκα ὡς τέλος καὶ ὁ λόγος τῆς οὐσίας. ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἕν τι σχεδὸν ὑπολαβεῖν δεῖ. cf. Metaph. VII, 4. 1044. B. 1. ubi de causa formali et finali dicit: ἴσως δὲ ταῦτα ἄμφω τὸ αὐτό. Itaque primum quidem ἀρχὴ τῆς πράξεως appellari possunt res ipsae, ἡ τῶν πρακτῶν ὕλη, quae quasi initia et fundamenta agendi sunt, sicut aes vel marmor principium statuae. deinde etiam causa efficiens, quae actionem procreat, id est voluntas et consilium hominis (προαίρεσις πράξεως ἀρχή), sive ipse homo (ἡ τοιαύτη ἀρχὴ ἄνθρωπος, 1139. B. 5.), scilicet ratio quae consilium capit, τὸ ἡγούμενον ἐν αὐτῷ, τοῦτο γὰρ τὸ προαιρούμενον. 1136. A. 6., quamobrem rationem humanam αἴτιον esse dicit 1112. A. 33 (νοῦς καὶ πᾶν τὸ δι' ἀνθρώπου). Denique propositum et finis, quem homo petit, ἀρχὴ τῆς πράξεως esse potest, velut eudaemonia, quae omnium

actionum finis est et ἀρχή: ταύτης γὰρ χάριν τὰ λοιπὰ πάντες πράττομεν. Metaph. I, 12. 1002. A. 2. quae eadem, cum sit ψυχῆς ἐνέργεια κατ' ἀρετήν, causa formalis est et τὸ τί ἦν εἶναι omnis virtutis et honestatis. Tantum autem abest ut Aristoteles hominibus semper summum bonum et quasi ideam quandam boni appetendam esse censeat, ut in agendo plerumque nihil nisi sibi utilia et commoda homines quaererc dicat. proximus igitur actionis finis τὰ καθ' ἕκαστα, e quibus oritur et proficiscitur voluntas et consilium. quamobrem perceptionem singularium nominat κυρίαν τῆς πράξεως 1147. b. 10. Sed quatenus hic proximus agendi finis bonus est et rectus et honestus, deducit iam per se ad finem universum et summum, sicut ad protasin quodammodo tacite suppositam.

Atque haec quidem hactenus. redimus iam ad νοῦν πρακτικόν. Etenim rei ipsius natura ac ratione recte cognita et percepta, incipit deliberatio, quomodo agendum sit, quid in hac re sit pulchrum aut turpe, quid bonum aut malum, quid forte aut ignavum, quid verum aut falsum. Virtus autem dianoetica, quae principia per intellectum percepta spectans de his rebus ad omnem vitam sapienter regendam et moderandam gravissimis subtiliter et studiose deliberat, ab Aristotele prudentia, φρόνησις, appellata est. Eius munus et officium est, ad principia summi boni virtutibus facultatibusquc τοῦ ἐπιστημονικοῦ definita et ad praecepta rationis omnes virtutes ethicas, omnia officia, omnia consilia et actiones hominum bene beateque viventium dirigere, ut homines ad summi boni ct beatitatis possessionem pervenire possint: καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὑτῷ ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα, οὐ κατά μέρος, οἷον ποῖα πρὸς ὑγίειαν ἢ ἰσχύν, ἀλλά ποῖα πρὸς τὸ εὖ ζῆν Eth. Nic. VI, 5. 1140. a. 26. verba autem τὸ εὖ ζῆν prorsus idem significare quod εὐδαιμονίαν, apparet ex eis quae ipse ait 1095 a. 19 et praesertim Rhet. I, 9. 1366 b. 20: φρόνησις δ' ἐστὶν ἀρετὴ διανοίας, καθ' ἣν εὖ βουλεύεσθαι δύνανται περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τῶν εἰρημένων εἰς εὐδαιμονίαν. Iam dubitare non possumus quin prudentia non summum quem modo exposuimus actionum humanarum finem spectet, sed finem proximum et singularem. Sed cum vera virtus dianoetica nomine suo digna esse non possit nisi obscuros animae sensus caecosque appetitus et incertas mentis notitias ad veritatis honestatisque perspicuitatem et ad summa principia conformet et explicet, inter finem singularem et universum discrepantia fieri nunquam poterit, sed uniuscuiusque actionis finis vera prudentia comprobatus congruet cum summis toti vitae humanae propositis finibus et deducet ad comparandam et efficiendam virtutem ethicam honestatemque. prudentia igitur perscrutatur τὰ πρὸς τὸ τέλος. „auf diese weise führt die überlegung von dem zweck als der zu erreichenden folge bis zu den letzten bedingungen, bis zu dem punkte, wo der gedanke stehn bleibt, damit da zur ausführung hand angelegt werde.“

Trendelenburg, hist. beitr. II, p. 382. prudentiam autem τὰ πρὸς τὸ τέλος spectare, non ipsum τέλος vel eo apparet, quod propria prudentiae vis et facultas in deliberatione posita est, deliberatio autem non est de fine sed de eis, quae ad finem ferunt et deducunt: βουλευόμεθα δ' οὐ περὶ τῶν τελῶν ἀλλὰ περὶ τῶν πρὸς τὰ τέλη. 1112. B. 12. et paullo infra: θέμενοι τέλος τι, πῶς καὶ διὰ τίνων ἔσται σκοποῦσιν. Sic medicus numquam deliberabit, utrum aegrotantem sanum faciat necne, sed quomodo.

Errant igitur qui Aristoteleam de prudentia disciplinam ita interpretati sunt, ut φρόνησις etiam ad constituendum finem valeat, siquidem eum finem esse putant universum vitae moralis et honestatis, τῆς εὐπραξίας. Nam quod Aristoteles Eth. Nic. VI, 10. 1142. b. 32. de εὐβουλίας vi et natura dicit, bonam consultationem rectum quoddam consultationis esse, ad utilitatem accommodatum, ad aliquem finem relatum, cuius ipsa prudentia vera existimatio est: ὀρθότης ἡ κατὰ τὸ συμφέρον πρός τι τέλος, οὗ ἡ φρόνησις ἀληθὴς ὑπόληψίς ἐστι, videtur hic quidem prudentia ad finem definiendum valere, sed hunc esse finem vitae communem prorsus negamus, imo philosophus agit de fine singulari actioni proposito, ad quem comparandum viam ac rationem docet bona consultatio, ἡ εὐβουλία. est haec quidem virtus prudentiae subiecta et illa inferior, utpote quae deliberet et consultet de finibus per prudentiam secundum principia constitutis et positis. Velut φρόνησις utrum rempublicam capessam necne consultat et docet. bona consultatio, ἡ εὐβουλία, viam ac rationem indagat, qua ad capessendam rempublicam perveniam.

Quae cum ita sint assentiri non possumus opinioni quam Ernestus Laas defendit (De eudaemonia p. 24) bonam consultationem etiam πρὸς τὸ τέλος τὸ ἁπλῶς deliberare, finem igitur, quem prudentia proponat, ipsum summum bonum esse neque de alio superiore quodam et universo hic cogitari posse. Sed opponuntur nostrae explicationi etiam ea, quae Aristoteles VI, 5. p. 1140. b. 11. seqq. de etymologia nominis σωφροσύνης dicit: ἔνθεν καὶ τὴν σωφροσύνην τούτῳ προσαγορεύομεν τῷ ὀνόματι, ὡς σώζουσαν τὴν φρόνησιν. σώζει δὲ τὴν τοιαύτην ὑπόληψιν. etc. Itaque si σωφροσύνη conservat prudentiam et prohibet ab errore, quippe quae rectam de principio et fine existimationem adhibeat, apparet etiam φρόνησιν ad finem concipiendum pertinere. Quam difficultatem evitabimus, si ἀρχήν explicamus significare hoc loco τὰ καθ' ἕκαστα, quae et ipsa finem et principium nominari posse supra demonstravimus. tum loci sane difficilis sensus erit, σωφροσύνην rectam existimationem rerum singularium, quatenus actionem efficiunt, conservare et prohibere quominus voluptate aut dolore corrupti ab recta agendi et iudicandi via aberremus. Nam libidines cupiditatesque in errorem inducunt animum et obturbant cogitationem: ὥστε συμβαίνει ὑπὸ λόγου πως καὶ δόξης ἀκρατεύεσθαι VII, 4. 1147. a. 35. φαίνεται γὰρ τὸ ἤδη ἡδὺ

καὶ ἁπλῶς ἡδὺ καὶ ἀγαθὸν ἁπλῶς de an. III, 10. 433. b. 9. Tamen infitiari non possumus, huic interpretationi repugnare videri, quae ipse Aristoteles dicit 1140. b. 16: *αἱ μὲν ἀρχαὶ τῶν πρακτῶν τὸ οὗ ἕνεκα τὰ πρακτά. τῷ δὲ διεφθαρμένῳ δι' ἡδονὴν ἢ λύπην, εὐθὺς οὐ φαίνεται ἡ ἀρχή, οὐδὲ δεῖν τούτου ἕνεκεν καὶ διὰ τοῦθ' αἱρεῖσθαι πάντα καὶ πράττειν. ἔστι γὰρ ἡ κακία φθαρτικὴ ἀρχῆς.* nam notionem *ἀρχῆς* hoc quidem loco significare principia, ad quorum praecepta agendi normam dirigamus, quae voluptate dominante pervertatur et tollatur, nemo negabit. cf. etiam VII, 9. 1151 a. 25, ubi intemperantem non omnino malum esse dicit: *σώζεται γὰρ τὸ βέλτιστον, ἡ ἀρχή,* i. e. principium honestatis et virtutis. nam finis actioni ipsi per se propositus neque est *τὸ βέλτιστον* neque hic *σωζόμενον.* Quovis igitur rem vertas, difficultas quaedam relinquitur. In eo quidem omnes consentient, mentem humanam voluptatibus aut doloribus indulgentem et obtemperantem neque de singularibus vitae rebus actionibusque recte diiudicare neque boni ideam summamque virtutis honestatisque speciem anima retinere posse. Sed *φρόνησιν* ipsa principia comprehendere et cognoscere non posse ex eis quae de prudentiae vi ac natura supra disputavimus manifesto apparet. Prudentia enim de singulis rebus, quae etiam aliter se habere possunt (*τὰ πρακτά*) deliberat ac decernit. Principia autem, quae sint in se constantia, immutabilia, sempiterna, intellectus theoreticus (*νοῦς*) tangit et percipit.

Reliquum est ut qualis sit optimus habitus *διανοίας ποιητικῆς* consideremus, si ad principia animo comprehensa spectans perfectam pulchri speciem sequitur, et ita munere suo fungitur, ut virtus dianoetica existat. Hanc philosophus *τέχνην* appellat et in hunc modum definit: *ταὐτὸν ἂν εἴη τέχνη καὶ ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική.* Sicut omnium partium *τοῦ λόγον ἔχοντος,* sic etiam artis vis in cogitatione sita est (*θεωρεῖ*). Sed cum finis, quem *διάνοια θεωρητική* spectat, ipsa sit cognitio, et finis *διανοίας πρακικῆς* actiones, *τέχνη* id sibi proposuit, *ὅπως ἂν γένηταί τι,* scilicet ut eorum aliquid efficiatur, quae etiam aliter se habere possunt, nam materia *τοῦ λογιστικοῦ* complectitur res ipsas mutationibus obnoxias et fluctuantes. cf. 1140. a. 10: *ἔστι δὲ τέχνη πᾶσα περὶ γένεσιν, καὶ τὸ τεχνάζειν [καὶ] θεωρεῖν ὅπως ἂν γένηταί τι τῶν ἐνδεχομένων καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι, καὶ ὧν ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ ποιοῦντι, ἀλλὰ μὴ ἐν τῷ ποιουμένῳ.* Existit autem ars, cum e multis experimentalibus notionibus una de similibus universalis existimatio fiat. itaque ab experientia (*ἐμπειρίᾳ*) proficiscitur ars cf. Metaph. I, 1. 898 a. 5: *γίνεται δὲ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων μία καθόλου γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις.* Tamen quae sit peculiaris et propria huius virtutis natura et quae relatio et coniunctio cum aliis virtutibus dianoeticis ne accuratius disseramus impedit singularis verborum Aristoteleorum brevitas Eth. Nic. VI, 4, quam suo iure questus est Brandisius, hist. philos. II, p. 1543. Id tan-

tum addere liceat, Aristotelem expressis verbis artem nominare ἕξιν μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητικήν, i. e. habitum quendam cum vera ratione coniunctum, ad efficiendum et creandum idoneum. Vera igitur ars nomine suo digna quamvis initium capiat ab imitatione naturae, tamen quae gignit et procreat ad principii sempiterni veritatem perfectionemque diriget et summam pulchri speciem et quasi imaginem quandam animo conceptam secuta rebus suis operibusque informabit. Ars igitur utpote quae semper cum ratione et veritate coniuncta esse debeat, recte virtus dianoetica dicitur. Quod autem Aristoteles verae arti opponit ἀτεχνίαν, inertiam, quam habitum esse dicit cum ratione falsa coniunctum, hoc iterum docet, habitus s. ἕξεις διανοίας nisi participes sint veritatis et ad principii normam omnes et cogitationes et actiones suas revocent, neque Aristoteli optimos esse neque virtutis vim ac facultatem assequi.

Virtutibus intellectualibus in hunc modum ex ipsa Aristotelis sententia explicatis nunc breviter quid de partibus διανοίας inde consequatur, complectemur. Ac primum quidem duae sunt διανοίας partes, τὸ ἐπιστημονικόν et τὸ λογιστικόν, quibus respondent, si duas τοῦ λογιστικοῦ partes secernimus, διάνοια θεωρητική, ποιητική, πρακτική. Commune omnium et proprium opus est θεωρία, quae tamen est alia, prout res quas θεωρία spectat, aliae sunt. Demonstratio enim non nisi de rebus absolutis et necessariis est, quae aliter sese habere non possunt. ad singulares autem res mutationi obnoxias et fluctuantes deliberatio pertinet. Ipsa autem deliberatio neque incerta est neque fortuita, sed omnia perpendit ac diiudicat secundum praecepta firma et immutabiles rationis honestatisque leges. Itaque omnibus virtutibus intellectualibus verum assequimur: οἷς ἀληθεύομεν καὶ μηδέποτε διαψευδόμεθα περὶ τὰ μὴ ἐνδεχόμενα ἢ καὶ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν. 1141 a. 3. Quod offendere non potest, si satis nobis persuasum est, etiam τῷ λογιστικῷ certa quaedam principia esse, quae non sub deliberationem cadunt, quae non τοῖς πρακτοῖς et ποιητοῖς adnumeranda sunt, sed τοῖς νοητοῖς, quae igitur immutabilia et necessaria sunt. Sunt igitur principia a priori omnibus tribus διανοίας facultatibus, ea autem facultas quae principia complectitur, est ἀρετὴ ἐπιτακτική, i. e. intellectus, νοῦς.

Errant autem qui intellectum theoreticum principia tantum τοῦ ἐπιστημονικοῦ comprehendere censeant, intellectum autem practicum principia τοῦ λογιστικοῦ. Hic enim non ad principia sed ad res singulas, τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν, pertinet, ideae autem et causae ultimae et extremae sempiternae sunt sibique constantes. Itaque plane assentimur eis quae Trendelenburgius de Anim. p. 494 dicit: „Quae hic de intellectu, qualis agendi consilium spectat, dicuntur, seponenda sunt. Neque enim haec ea mens quae, in summis rerum causis occupata, principia petit, sed quae singula

quaeque ad praecepta accommodare scit, ut in eo Aristoteles magis vulgarem sermonis usum quam subtile discrimen secutus esse videatur.“ At dicat aliquis, Aristotelem, quippe qui sit empiricus inter philosophos, summam et absolutam boni ideam non agnoscere, sed ab experientia profectum ad notitiam boni pedetentim adscendisse. cuius rei testimonium esse quod philosophus τὸ ἀγαθὸν ἕτερον ἀνθρώποις καὶ ἰχθύσιν esse dixerit (VI, 7.), contra λευκὸν καὶ ὀρθὸν ταὐτὸν ἀεί. Adeo autem iam per se patet, hoc loco non de honesto proboque agi, quoniam notiones honestatis atque virtutis ad animal nunquam pertinere possunt, (cf. I, 10. 1099. b. 32.), ut in hunc errorem Carolum Prantlium (dissert. de virtut. dianoet. p. 12.) incidisse mirer, qui probare tentat, apud Aristotelem notionem honesti bonique incertam et fluctuantem esse. Et profecto quis sibi persuadeat philosophum, qui de philosophia morali scribat, ipsam boni notionem ita fluctuare et in singulorum iudicio positam esse arbitrari, ut neque sit norma neque regula qua vera et falsa, honesta et turpia iudicentur. immo recte Kantius: „wer die begriffe der tugend aus erfahrung schöpfen wollte, wer das, was nur allenfalls als beispiel zur unvollkommenen erläuterung dienen kann, als muster zum erkenntnissquell machen wollte, der würde aus der tugend ein nach zeit und umständen wandelbares, zu keiner regel brauchbares, zweideutiges unding machen.“ (kritik der reinen vernunft p. 371.) Tantum autem abest ut Aristoteles in ea quam Prantlius voluit, sententia fuerit, ut permultis locis dilucide pronuntiet, intellectum theoreticum etiam agendi principia constituere. Sic sapientiam, quae intellectum theoreticum complectitur, eam ob causam et summam et ἀρχικωτάτην omnium scientiarum esse dicit, quod extremum et ultimum agendi finem recte cognoscat: ἡ γνωρίζουσα τίνος ἕνεκέν ἐστι πρακτέον ἕκαστον. τοῦτο δ' ἐστὶ τἀγαθὸν ἐν ἑκάστοις, ὅλως δὲ τὸ ἄριστον ἐν τῇ φύσει πάσῃ. Metaph. I, 2. 982 b. 5. Et quod scribit de Anim. III, 11. 434 a 7: πότερον γὰρ πράξει τόδε ἢ τόδε, λογισμοῦ ἤδη ἐστὶν ἔργον καὶ ἀνάγκη, ἑνὶ μετρεῖν, nemo dubitabit quin hoc „unum“ nihil nisi illud ἄριστον sit, scilicet finis summus et norma immutabilis et aeterna, qua omnes actiones humanas metiamur.

Principiis igitur per intellectum conceptis omnes scientiae artesque humanae sicut fundamento initioque firmo et stabili et constanti utuntur, a quibus profecta διάνοια θεωρητικὴ cognitionem rerum humanarum et coelestium esse posse et ipsam philosophiam confirmat et comprobat, διάνοια autem ποιητικὴ ad principiorum eorundem speciem similitudinemque res et artes dirigit, denique διάνοια πρακτικὴ ad sempiternas ipsorum leges actiones nostras revocat, neque aliter tres illae διάνοιαι ad βελτίστην ἕξιν et virtutis praestantiam pervenire possunt. Itaque principiorum cognitione neglecta et omissa neque σοφία neque τέχνη neque φρόνησις esse potest: „sie

[die ideen des *νοῦς*] haben einen vortrefflichen, unentbehrlichen, nothwendigen, regulativen gebrauch, nämlich den verstand zu einem gewissen ziele zu richten, in aussicht auf welches die richtungslinien aller seiner regeln zusammenlaufen in einem punkt, der dazu dient, ihnen die grösste einheit zu verschaffen." Kant, Kritik der reinen vernunft p. 672.

Jam si quaerimus, quae ratio his virtutibus dianoeticis cum intellectu theoretico intercedat, primo quidem in aperto est, sapientiae aliam rationem esse cum intellectu atque prudentiae et arti. illa enim intellectum comprehendi et contineri supra demonstravimus, *φρόνησιν* autem et *τέχνην* ita tantum cum eo cohaerere, ut ille eis normas ac principia constituat. scientia autem quamquam et ipsa a principiis initium facit, suis tamen argumentis utitur et leges quas ipsa sibi imponit, sequitur. haec ad rerum singularium veritatem intellegentia cognoscendam spectat, illae ad veritatem universalem rebus singulis accommodandam. Deinde virtutes prudentiae, artis, sapientiae, si verae virtutes sunt, summam et absolutam perfectionem quandam suae quaeque partis *διανοίας* significant, scientia autem, quamvis per se quidem perfecta sit et optima, tamen ad finem nunquam pervenire potest, cum res cognitioni suppositae infinitae sint, et principia ut concessa, non demonstrata ponat. Itaque pars tantum *σοφίας* est, intellectus autem omnium *ἀρετὴ ἐπιτακτική*. —

Duplex autem est opus et munus, quo virtutes dianoeticae in ethica Aristotelea perfungantur oportet, primum quidem ut actiones humanas ad honestatis praecepta dirigant, deinde ut ipsam honesti bonique naturam cognoscant, principia constituant, optimum animi habitum et ad virtutem percipiendam idoneum efficiant. Quod utrumque virtutis intellectualis opus cum altero ita apte cohaeret, ut dissolvi ab eo nullo modo queat, et utrumque eundem finem petat, qui est omnium ultimus et extremus, eudaemoniam.

Sed iam hic quaesivisse iuvabit, qua ratione virtutes dianoeticae cum virtutibus ethicis conexae et copulatae sint. Ac primo quidem obtutu ex ipsis Aristotelis verbis apparere videbatur, virtutes ethicas existere et quasi nasci non posse, nisi ex praeceptis et legibus virtutis dianoeticae quid honestum sit quid turpe, quid officium quid maleficium, quid appetendum aut fugiendum diiudicetur. ethicae igitur virtutes sine dianoeticis ne cogitari quidem posse videbantur. Tamen compluribus locis Aristoteles ipse hanc rationem inter ethicas et dianoeticas intercedentem ita sustulit et in contrarium vertit, ut animus noster tum demum ad summam virtutis dianoeticae felicitatem et praestantiam ascendere posse videatur, si ethica virtute comparata et exercitata saeviores animi perturbationes propulsae sint et remotae. cf. Eth. Nic. VI, 13. 1144, a. 36: *φανερόν, ὅτι ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ὄντα ἀγαθόν.* Quae qui-

dem sententia quamvis cum altera illa toto coelo discrepet et pugnet, tamen diserte saepius utramque pronuntiat: *δῆλον οὖν, ὅτι οὐχ οἷόντε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως, οὐδὲ φρόνιμον ἄνευ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς.* 1144. b. 30. cf. Eth. N. X, 8. 1178. a. 16: *συνέζευκται δὲ καὶ ἡ φρόνησις τῇ τοῦ ἤθους ἀρετῇ καὶ αὕτη τῇ φρονήσει, εἴπερ αἱ μὲν τῆς φρονήσεως ἀρχαὶ κατὰ τὰς ἠθικάς εἰσιν ἀρετάς, τὸ δ' ὀρθὸν τῶν ἠθικῶν κατὰ τὴν φρόνησιν.*

Quam difficultatem sane gravissimam remoturus Trendelenburgius (histor. beitr. zur philosophie, II, p. 385) suo iure exposuit: „dass dialectisch alles sehr leicht die form eines zirkels annimmt, was real in dem verhältniss der wechselwirkung steht, und daher auf einen gemeinsamen ursprung zurückweist." Etenim dubitare nemo poterit, quin duae illae animi facultates, dico *τὸ ὀρεκτικόν* et *τὸ λόγον ἔχον,* ita artissime inter se cohaereant, ut una simul oriantur et crescant, ut altera alteram confirmet et augeat et ad virtutis praestantiam conformet. quaeritur autem, utra virtus prior sit et causa et quasi auctrix quaedam alterius, quaeritur, utra ab facultate animi virtutis vis et natura proficiscatur. Proxima autem agendi causa in affectu (*πάθος*) posita est, cum appetitione ad agendum impellamur et id appetamus, quod sensum vel animum affecit voluptate. „*ὄρεξις* igitur ultima motionis causa, *οὕτως μὲν οὖν ἐπὶ τὸ κινεῖσθαι καὶ πράττειν τὰ ζῷα ὁρμῶσι, τῆς μὲν ἐσχάτης αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι ὀρέξεως οὔσης, ταύτης γενομένης ἢ δι' αἰσθήσεως ἢ διὰ φαντασίας καὶ νοήσεως.*" De anim. mot. 7, 701. a. 34. motus autem animi appetitione citatus per se quidem rationi non est obtemperans. quaeritur quibus rebus effici possit, ut turbidi et appetentes animi motus praeceptis rationis, *τοῦ ὀρθοῦ λόγου,* regantur et sedentur. itaque vi quadam opus est animo humano insita, qua appetitus concitati cogantur ut rationi oboediant, quae sit quasi vinculum quoddam, quo *τὸ ὀρεκτικόν* et *τὸ λόγον ἔχον* inter se coniungantur. Eam autem animi facultatem, quae efficit ut rationis praecepta libidines cupiditatesque moderari possint, Aristoteles consistere docet in morali quodam impetu homini insito atque innato. Appetentem enim animi partem ita comparatam esse iam supra demonstravimus, ut rationi oboedire et virtutis particeps fieri possit: *πεφυκότες δέξασθαι ἀρετήν.* 1103. a. 25. sic naturalis quaedam neque disciplina neque consuetudine facta aut quaesita inclinatio voluntatis oritur ad honestatem virtutemque, et odium atque fastidium vitiorum, quam Aristoteles *ὁρμήν* appellat: *δεῖ δὴ τὸ ἦθος προυπάρχειν πως τῇ ἀρετῇ, στέργον τὸ καλὸν καὶ δυςχεραῖνον τὸ αἰσχρόν.* 1179. b. 31. Quae animi facultas cum omnibus communis et innata, non facta sit, nemo indolem vitiosam excusare potest: *πᾶσι γὰρ δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πως.* 1144 b. 4. et ad honestum impulsum quendam oportet primo innasci irrationalem (qui profecto nascitur) atque ita postremo rationem

esse discernentem atque constituentem. cf. Magn. Mor. II, 7. 1206. b. 20: *δεῖ γαρ πρὸς τὸ καλὸν ὁρμὴν ἄλογον πρῶτον ἐγγίνεσθαι, (ὃ καὶ γίνεται), εἶθ' οὕτως τὸν λόγον ὕστερον ἐπιψηφίζοντα εἶναι καὶ διακρίνοντα.*

Haec est illa *ἀρετὴ φυσική* 1144. b. 3, quam adolescentibus tribuit Rhet. II, 12, et infantibus et indoctis ineruditisque hominibus Magn. Mor. II, 7. (*τοῦτο ἴδοι ἄν τις ἐκ τῶν παιδίων καὶ ἄνευ λόγου ζώντων.*) Est illa quidem initium et fundamentum omnis virtutis, illa impellit et deducit hominem ad honestatem adamandam et conscientiam virtutis vitiorumque excitandam. Errant igitur, qui a rationali animi parte virtutem proficisci opinentur. Aristoteles aperte profitetur, sublata illa naturali ad virtutem inclinatione voluntatis humanae fieri non posse ut cupiditates atque appetitiones ad rationis praecepta revocarentur: *ἐὰν ἀπὸ τοῦ λόγου τὴν ἀρχὴν λάβῃ πρὸς τὰ καλά, οὐκ ἀκολουθεῖ τὰ πάθη ὁμογνωμονοῦντα, ἀλλὰ πολλάκις ἐναντιοῦται· διὸ μᾶλλον ἀρχῇ ἔοικε πρὸς τὴν ἀρετὴν τὸ πάθος εὖ διακείμενον ἢ ὁ λόγος.* Magn. Mor. II, 8. 1206. b. 26.

Sed hanc virtutem ut ita dicam naturalem, quamquam ad honestatem efficiendam plurimum valet et actiones morales gignit et procreat, tamen per se solam sufficere non posse ad constantem et immutabilem virtutis habitum manifestum est. Etenim sensus communis in rebus difficilioribus et contortis saepenumero quid honestum et rectum sit vix diiudicare potest, quin etiam officiis inter se repugnantibus nisi accurata et subtili causae cognitione atque existimatione confirmatur et dirigitur, caeco casui et perniciosissimis erroribus exponitur, sicut corpori robusto et valido, quod videndi sensu caret, gravissimae offensiones accidunt. Eth. Nic. VI, 13. 1144. b. 9. sqq. Itaque fieri non potest quin sensui illi communi et innato ratio, consilium, argumenta adiungantur, si ad veram virtutem homo perventurus est. haec autem qua opus est et rerum humanarum et principiorum summorum certa et accurata cognitio non nisi virtutibus dianoeticis comparatur, quae hominibus apertam recte vel inhoneste factorum conscientiam et constantem agendi normam atque regulam efficere possunt et honestatis virtutisque quasi leges quasdam constituunt e ratione profectas, scientia confirmatas, ad ipsas res prudentia adhibitas. „*ἐὰν δὲ λάβῃ νοῦν . . . . τότ' ἔσται κυρίως ἀρετή.*" 1144. b. 12. *τότε γάρ φαμεν εἶναι ἀρετήν, ὅταν ὁ λόγος εὖ διακείμενος τοῖς πάθεσιν ἔχουσι τὴν οἰκείαν ἀρετὴν σύμμετρος ᾖ καὶ τὰ πάθη τῷ λόγῳ.* Magn. mor. 1206. b. 9. Itaque non nisi et ethicis et dianoeticis virtutibus coniunctis et copulatis vera, perfecta, absoluta virtus existere potest, quae *κυρία ἀρετή* eam ob causam non modo secundum rectam rationem est, *κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον*, ut multi censuerunt, sed *μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου*, h. e. artissime consociata cum recta ratione. 1144. b. 26. Porro virtutes et rationalis et appetentis animi partis necessario coniunctas

esse iam ex eis elucet, quae de *προαιρέσεως* vi et natura Aristoteles disputat, quippe quae causa efficiens uniuscuiusque actionis sit. haec autem e ratione et appetitione orta (Eth. N. VI, 2) ab Aristotele aut ratio appetens aut appetitio rationalis appellatur, *ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς ἡ προαίρεσις ἢ ὄρεξις διανοητική.* Eth. Nic. VI, 2. 1139. b. 4. Quomodo autem ratio et appetitio, quamvis diversae natura et contrariae sint, tamen in unum copulari possint et coniunctae unam agendi causam et *ἀρχήν* efficiant, demonstrat Aristoteles ex unitate individua et consensu animi humani omnes partes et facultates aequabiliter complectentis. cf. Magn. mor. 1199 b. 38: *ὥςτε τὸ ἅμα ἐλέσθαι παρέσται, καὶ ἡ τελεία ἀρετὴ ὑπάρχει, ἣν ἔφαμεν μετὰ φρονήσεως εἶναι, οὐκ ἄνευ δὲ τῆς φυσικῆς ὁρμῆς τῆς ἐπὶ τὸ καλόν.*

Quarum animi nostri facultatum si alterutra, id quod saepius accidit, neglecta altera per se sola valet et dominatur, simile quidem aliquid virtutis nasci potest, non perfecta et vera virtus. Ac primum quidem si sola appetitio et voluntas, *τὸ ὀρεκτικόν,* secundum naturam et indolem suam recte conformata est, ratio (*ὁ λόγος*) autem aut omnino hebescit et languet, aut viget quidem et excitatur, sed in malam partem: fieri quidem potest, ut bonitaten aturae superante naturalis et nativa illavirtus, *ἡ ἀρετὴ φυσική,* oriatur quae tamen ad assequendam perfectionem summam vitae humanae propositam minime sufficit, aut ratio imperita in errorem deducta neque ipsa vera discernit neque recta et honesta praescribit. falsae igitur opinones (*δόξαι*) nascuntur blandam veritatis speciem offerentes: *ἔνιοι γὰρ πιστεύουσιν οὐδὲν ἧττον οἷς δοξάζουσιν ἢ ἕτεροι οἷς ἐπίστανται* (1146 b. 9). quibus quo facilius et libentius, id quod debet, *τὸ ἦθος* indulget, eo magis homo falsis illis opinionibus huc illuc raptus periclitabitur. Ita accidit, ut virtus alterius tantummodo facultatis animi nostri altera prorsus deficiente vel languente in gravissimum discrimen hominem abripiat: *συμβήσεται τῇ ἀρετῇ κακῶς χρῆσθαι. ὁ γὰρ λόγῳ φαύλῳ διακείμενος καὶ χρώμενος τῇ ἀρετῇ, κακῶς αὐτῇ χρήσεται.* 1206 b. 5. Cuius quidem rei exempla plurima et gravissima res ab hominibus gestae produnt. Etenim saepissime atrocissima bella et externa et intestina, infandae crudelitates, ingentia civium nationumque odia ex erroribus illis fanaticis orta sunt, in quos homines rapiuntur imbecillitate rationis et ignorantia et opinatione, non malo consilio animoque depravato, *συμβαίνει δ' ἔκ τινος λόγου ἡ ἀφροσύνη μετ' ἀκρασίας ἀρετή. τἀναντία γὰρ πράττει ὧν ὑπολαμβάνει διὰ τὴν ἀκρασίαν. ὑπολαμβάνει δὲ τἀγαθὰ κακὰ εἶναι, ὥςτε τἀγαθὰ καὶ οὐ τὰ κακὰ πράξει.* 1146 a 28.

Sed etiam fieri potest ut homini optima sit et rerum cognitio et intellegentia et prudentia, indigeat autem bonae voluntatis atque consilii probi et honesti. Tum rationi vera et recta proponenti tantum abest ut voluntates atque appetitiones obtemperent, ut hominem ad maleficia et scelera abripiant, ut ille ait: „video meliora proboque, deteriora sequor.“

Bona autem et honesta voluntate omissa, ne *πρακτική* quidem *διάνοια* ad virtutis praestantiam pervenire potest, immo loco *φρονήσεως* virtutis nihil relinquitur nisi calliditas quaedam et sollertia, quae remota ab honestate perverse veram prudentiam imitatur. hanc Aristoteles *δεινότητα* appellat. (1144 a. 29.) quae cum idonea et apta sit ad assequenda ea, quae sibi proposuit, pars prudentiae non levis est, nam prudentia sine ea esse non potest. *ἔστι δ' ἡ φρόνησις οὐχ ἡ δεινότης, ἀλλ' οὐκ ἄνευ τῆς δυνάμεως ταύτης. διὸ καὶ τοὺς φρονίμους δεινοὺς καὶ πανούργους φαμὲν εἶναι. δεινότης* autem et *πανουργία* appellatur *φρόνησις*, si ad finem laudabilem et honestum nititur.

Quae cum ita sint, virtus sine intellegentia caecus impetus est et insatiabile et inexplebile perfectionis et eudaemoniae desiderium. at sine illo naturali impetu nullum virtutis desiderium oritur, quod significans dicit 1144 a. 8: *ἡ μὲν γὰρ ἀρετὴ τὸν σκοπὸν ποιεῖ ὀρθόν, ἡ δὲ φρόνησις τὰ πρὸς τοῦτον.* quae verba primo quidem aspectu aliquid offensionis habent, cum hoc loco virtuti ethicae, quam praeceptis prudentia datis obtemperare oportere supra exposuimus, id imponi videatur, ut cuiusque actionis finem recte constituat et eo fungatur munere, quod opus proprium summae *τοῦ ἐπιστημονικοῦ* virtutis est. At haec sententia non ita intellegenda est, quasi virtuti ethicae finis agendi ultimus et extremus exquirendus et constituendus sit, sed id tantum efficere debet, ut voluntas humana ad finem ratione virtutibusque dianoeticis propositum dirigatur. quo facto prudentia, qua via ac ratione homo ad finem illum honestum et probum pervenire possit, demonstratur. Consentit etiam cum hac verborum sententia, quod Aristoteles addit: *ἔτι τὸ ἔργον ἀποτελεῖται κατὰ τὴν φρόνησιν καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετήν:* opus illud, quod in assequenda eudaemonia positum est, perficitur secundum praecepta virtutis ethicae et prudentiae, altera enim efficit ut homo finem summum appetat, altera viam ac rationem demonstrat.

Videmus igitur sententias Aristotelis supra commemoratas (1144 b. 30. 1178 a 16.) minime inter se repugnare. Prudentia autem perfecta et absoluta cum non modo quae in caecorum sensuum et quasi divinationis cuiusdam obscurae tenebris latebant, in scientiarum certarumque cognitionum lucem producat, sed etiam actionibus humanis ubique adiuncta constantiam quandam et perpetuitatem virtutis efficiat, virtutes iam non caeco casui commissae sunt, sed necessario fiunt, neque singulae hic illic oriuntur, ut non sunt homines omnes omnibus *εὐκατάφοροι*, sed generatim ex necessitate notionis universae, ita ut ex virtutibus multis naturalibus una perfecta virtus existat: *ἅμα γὰρ τῇ φρονήσει μιᾷ οὔσῃ πᾶσαι ὑπάρξουσιν ἀρεταί.* 1145. a 1.

Huius summae virtutis qui ita particeps est, ut affectus omnes cum ratione omnino consentiant, non iam ex perturbatis voluptatis, dolorisque motibus pendet nec

extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habet rationes, sed ad vitam philosopho vere dignam ascendit ratione sola moderatam: *δόξειε δ' ἂν καὶ ἕκαστος εἶναι τοῦτο, εἴπερ τὸ κύριον καὶ ἄμεινον.* Ita propius accedit ad puram, a materia liberatam, rationis actionem, ad conspectum et cognitionem veritatis ipsius. In hac autem vis et natura eudaemoniae atque summae beatitatis posita est, nam intellectio veri actio est divinae partis naturae nostrae. respondet etiam egregie notis et attributis eudaemoniae propriis, nam est ea vitae condicio, quae omnibus desideriis humanis satisfacit et quae nullius rei nisi sui ipsius causa expetitur et cuius causa cetera omnia expetimus, quae denique omnibus desideriis expletis cumulatam quandam et quasi divinam voluptatem parit. itaque cum vita theoretica quasi soluta sit liberataque a rebus et materia et ideas tantum spectet ac perfectas rerum formas, haec similis et aequa est vitae summae intellectionis, i. e. dei ipsius. intellectio autem summa se ipsam intellegit, si est quidem quod optimum est, et est intellectio intellectionis intellectio: *αὑτὸν ἄρα νοεῖ, εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον, καὶ ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις.* Met. XI, 9, 1074 b. 33. deus autem qui se ipsum cogitet et universalem inter subiectum et obiectum oppositionem hoc modo tollat, summa et perfecta beatitate fruitur: *ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια, μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη.* Eth. Nic. 1178. b. 28. Homo autem eius particeps fieri potest non quatenus homo est, sed quatenus ei aliquid divini inest. Itaque divina animi nostri natura dominetur oportet in hominibus et valeat: *ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται, ἀθανατίζειν, καὶ πάντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ.*

Itaque Aristoteles animo humano actionem attribuit absolutam, a materiae condicionibus liberatam, neque res neque usum respicientem, quae virtutibus *τοῦ ἐπιστημονικοῦ,* intellectu, sapientia, prudentia efficitur. Neque tamen id omittendum est, beatitatem illam et felicitatem ut ita dicam theoreticam virtutibus alterius animae partis neglectis et omnino deficientibus hominem nullo modo assequi posse. Animus enim humanus si ad vitam illam theoreticam, divinam et summo philosopho dignam ascendere contendit, a perturbationibus et affectionibus cupiditatum, laetitiae, metus liber esse debet et solutus. quin etiam non nisi animus virtute moderatus et continens eudaemoniam in vita theoretica positam comprobabit et finem summum et extremum homini propositum esse agnoscet. Itaque ethica virtute quasi initio et fundamento quodam utamur oportet, a quo ad eudaemoniam virtute dianoetica comparandam enitamur. Vitam autem theoreticam a rebus remotam et aversam ita raro hominem assequi posse, ut deo tantum tribuenda esse videatur, ipse Aristoteles dicit 1177. b. 26: *ὁ δὲ τοιοῦτος ἂν εἴη βίος κρεῖττον ἢ κατ' ἄνθρωπον.* Ipsa tamen sola summam felicitatem efficit: *ἐφ' ὅσον διατείνει ἡ θεωρία, καὶ ἡ εὐδαιμονία, καὶ οἷς*

μᾶλλον ὑπάρχει τὸ θεωρεῖν καὶ εὐδαιμονεῖν, οὐ κατὰ συμβεβηκός, ἀλλὰ κατὰ τὴν θεωρίαν. 1178. b. 29. eodem modo virtutem dianoeticam, quae ad vitam theoreticam hominem perducat et potestatem τοῦ θεωρεῖν nobis afferat, ipsam per se solam, quatenus existat, beatum philosophum reddere dicit 1144. a. 6: τῷ ἐνεργεῖν ποιεῖ καὶ τῷ ἔχεσθαι εὐδαίμονα.

Iam si quaeritur, num theoria sola et absoluta, quippe quae ne minime quidem ad conformandam voluntatem aut ad mores corrigendos aut omnino ad agendum pertineat, in philosophia morali pertractanda sit, si paullo accuratius ethicae Aristoteeae consilium ac rationem aestimaverimus, id negare non poterimus. Eudaemoniam enim finem ultimum et summum totius philosophiae ethicae esse Aristoteles expressis verbis identidem docet. quae quidem cum in vita theoretica posita sit, ipsa vita theorectica eaeque animi humani facultates ac virtutes, quibus eam impetramus, nullo modo a philosopho in ethica describenda practermitti possunt. Itaque cum Schleiermachero non consentimus, quod dicit: „die dianoetischen tugenden haben einen dem sittlichen gegenüberstehenden und also relativ davon ausgeschlossenen character.“ (Sämmtliche werke, philos. bd. III, p. 314.) Neque enim virtutes dianoeticas, etiamsi nihil ad honestatem cognoscendam et efficiendam valeant, eam ob causam a philosophia ethica excludendas et segregandas esse neque re vera nihil ad agendum et ad bene beateque vivendum pertinere supra demonstravimus, immo fere omnes ita comparatae sunt, ut sine eis neque de principiis, e quibus omnia praecepta moralia pendent, neque de rebus singularibus recte iudicare possimus. Errat in eo quoque Schleiermacherus, quod paullo infra addit: „bald klingt es, als ob, nachdem die sittlichen tugenden abgehandelt sind, nun auch von den geistigen als der zweiten hauptklasse sollte gehandelt werden; bald wieder, als ob dies nur nothwendig wäre, insofern von ihnen das maass ausgehen muss, welches die wahre mitte zwischen den entgegengesetzten fehlern bestimmen muss, also bloss um der ethischen tugenden willen.“ Ex eis, quae de doctrina Aristotelea supra pluribus verbis exposuimus, manifesto elucet, rationem quidem quae inter virtutes intellectuales et ethicas intercedit, saepius quasi adumbratam magis quam satis accurate et dilucide ab Aristotele demonstratam, tamen re vera nullam neque dubitationem neque haesitationem relictam esse. Denique Aristoteles summum et absolutum bonum in vita theoretica positum cogitatione quidem et mente complectendum et omnium virium contentione appetendum atque ad eius normam totam vitam dirigendam esse docet, neque tamen infitiatur, id deis magis quam hominibus tributum esse et ab hominibus non quatenus homines sint, sed quatenus aliquid divini eis insit, impetrari posse. Itaque finis quidem proximus homini εὐπραξία est: ᾗ δ' ἄνθρωπός ἐστι, καὶ

πλείοσι συζῇ, αἱρεῖται τὰ κατ' ἀρετὴν πράττειν. 1178. b. 5. haec efficit *τὴν δευτέραν εὐδαιμονίαν* (X. 8), quae in honestate et in actionibus honestis consistit et quasi gradus felicitatis inferior est, per quem ad altiorem illum summae et fere divinae beatitatis ascendimus. Itaque ubi de praeceptis moralibus agitur, Aristoteles finem illum ut ita dicam proximum honestatis adipiscendae respicit, et saepissime eum cum aliis deterioribus qui virtutum contrarii sunt, comparatum optimum esse et summum vitae humanae propositum docet, neque tamen haec eis repugnant aut obsistunt, quae de vita theoretica et eudaemonia aliis locis exponit. Etenim qui veram et agendi et cogitandi honestatem dignitatemque adeptus est, peculiari illa vi perfectae virtuti insita ad summum eudaemoniae gradum ultro ascendet.

Doctrina de virtutibus intellectualibus quatenus ex ipsius Aristotelis verbis apparet, exposita, restat ut cum nostra eam virtutum intellectualium expositionem comparemus, quam Carolus Prantlius (über die dianoetischen tugenden in der nicomachischen ethik des Aristoteles. München 1852) protulit. Qui vir doctissimus tantum abest ut cum nostra virtutum dianoeticarum interpretatione consentiat, ut duas tantummodo virtutes intellectuales agnoscat, *σοφίαν* et *φρόνησιν*, quarum altera sit *ἀρετὴ τοῦ ἐπιστημονικοῦ*, altera *ἀρετὴ τοῦ λογιστικοῦ*. Iam si quaerimus, quid ipse Aristoteles de divisione et numero virtutum dianoeticarum disputet, quoniam si ipse expressis verbis quinque esse asseveret, nemo iam de placito philosophi dubitare potest, duos ethicorum Nicomacheorum locos perlustremus oportet. Etenim Eth. Nic. I, 13. 1103. a. 4. dicit: *„λέγομεν γάρ, αὐτῶν τὰς μὲν διανοητικὰς τὰς δὲ ἠθικάς, σοφίαν μὲν καὶ σύνεσιν καὶ φρόνησιν διανοητικάς, ἐλευθεριότητα δὲ καὶ σωφροσύνην ἠθικάς.* At qui paullo accuratius rationem totius loci et rerum sententiarumque quasi contextum examinaverit, non dubitabit quin hoc loco tantum absit ut Aristoteles omnes virtutes dianoeticas enumeraturus sit, ut exempli gratia qualescunque commemoret, quod vel ex eo dilucide apparet, quod *σοφίαν* et *φρόνησιν*, quas inter summas referendas esse supra demonstravimus, hoc eodem loco cum inferiore illa virtute *συνέσεως* componit et comparat. At Eth Nic. VI, 3. 1139. b. 15. expressis verbis suam de numero virtutum intellectualium sententiam hunc in modum exponit: *ἔστω δὴ οἷς ἀληθεύει ἡ ψυχὴ τῷ καταφάναι ἢ ἀποφάναι, πέντε τὸν ἀριθμόν· ταῦτα δ' ἐστὶ τέχνη, ἐπιστήμη, φρόνησις, σοφία, νοῦς.* Sunt igitur quinque numero vires animi et facultates, quibus animus verum enuntiat vel aiendo vel negando, ars, scientia, prudentia, sapientia, mens sive intellegentia. Atqui non dicit, quinque esse virtutes dianoeticas. Miror profecto quod hac in re viri docti haesitaverunt, cum paullo supra 1139. a. 21. ipsa Aristoteles *κατάφασιν* et *ἀπόφασιν* in *διανοίᾳ* positas esse dicat (*ἔστι δ' ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ' ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή.)*, et

de duabus *διανοίας* partibus 1139. b. 12: *καϑ' ἃς οὖν μάλιστα ἀληϑεύσει ἑκάτερον, αὗται ἀρεταὶ ἀμφοῖν.* itaque quinque illae animi facultates nihil nisi *ἀρεταὶ διανοίας*, i. e. *ἀρεταὶ διανοητικαὶ* esse possunt. Quod quamquam luce clarius est, tamen Carolus Prantlius negat p. 9: „es ist sehr leicht gesagt, Aristoteles zähle im ganzen fünf dianoetische cardinaltugenden auf; aber diese angabe ist, so gefasst, wenigstens nur halbwahr, wenn nicht sogar ganz falsch.“ Rem ipsam, quam modo exposuimus, ne verbo quidem tangit. acquiescit in eo, ut nostram virtutum interpretationem appellet: „die vorgefasste fünftheilung.“ (p. 9.)

Atqui causam ac rationem in re ipsa positam perlustremus oportet, qua C. Prantlius deductus a manifestis Aristotelis verbis recesserit, antequam quae vera sit dianoeticarum virtutum explicatio diiudicemus. Prantlius enim eam ob causam *τέχνην, ἐπιστήμην, νοῦν* virtutibus dianoeticis adnumerandas esse negat, quod intellectualibus animi facultatibus in philosophia ethica locus esse non possit, quippe quae ad *πρᾶξιν* tantummodo pertineat et officii atque bene vivendi disciplinam contineat: „das princip der praxis im vollsten und tiefsten sinne dessen, was eben des menschen *πρᾶξις* sein kann, ist es auch, welches der entwicklung der sogenannten dianoetischen tugenden im sechsten buche zu grunde liegt.“ (l. l. p. 9.) Sed notio *πράξεως* ab Aristotele non adumbrata modo, sed certis finibus ita circumscripta est, ut de ea dubitare nemo possit. itaque quid significet hominis *πρᾶξις* „im vollsten und tiefsten sinne“ vix dicere possumus. deinde iam supra demonstravimus ethicae Aristoteleae principium summum esse eudaemoniam. itaque nullo modo eas animi humani vires ac facultates omnino praetermittendas esse existimamus, quarum opera homines eudaemoniam adipiscantur, dico intellectuales et theoreticas, tamen partem ethicae philosophiae longe maiorem de officiis, de agendi norma atque regula agere per se patet, cum virtus et honestas condicio sit, sine qua eudaemonia in vita theoretica posita impetrari nullo modo potest. Neque tamen eam ob causam virtutes ethicae per se solae principium philosophiae moralis Aristoteleae continent, sed eis quasi via utamur oportet qua ad absolutam et perfectam cognitionem perveniamus. (cf. X, VII.)

Deinde quod Prantlius dicit p. 10: „die zweite seite des *ἄλογον* ist als *ἐπιϑυμητικόν* das dem *λόγος* gehorchen müssende, also der receptive passive *νοῦς*, und hiemit zugleich der erste theil des *λόγον ἔχον*, dessen zweiter theil das ansich desselben (*τὸ κυρίως τὸν λόγον ἐν ἑαυτῷ ἔχον* I, 13), der active, höchste *λόγος* — *νοῦς* ist,“ primum quidem num suo iure Prantlius *νοῦν παϑητικόν* idem esse significet, quod *ἐπιϑυμητικόν*, hoc loco praetermittere volumus, quamquam illud quidem maxime dubium esse videtur, si respicimus quae Trendelenburgius disputat de Anima p. 493, quippe qui *νοῦν παϑητικὸν* amplecti dicat „omnes facultates, quae, a sensu inde ad imaginationem, mentem

antecesserunt.“ Deinde Prantlium obiurgare non possumus quod eam τοῦ λόγον ἔχοντος interpretationem sequitur, quae inter alios nonnullos nititur loco Aristotelis 1098. a. 4: τούτου [τοῦ λόγον ἔχοντος] τὸ μὲν ὡς ἐπιπειθὲς λόγῳ, τὸ δὲ ὡς ἔχον καὶ διανοούμενον, quamquam eam rectam esse supra negavimus. Sed iam in hunc modum pergit: „So ist das λόγον ἔχον selbst einerseits auf das ansich überhaupt, auf das nothwendige, ewige, τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, andrerseits auf das veränderliche, viele, τὸ ἐνδεχόμενον (das gebiet der praxis) gerichtet; das erstere ist das ἐπιστημονικόν, das letztere τὸ λογιστικόν.“ Quibus verbis cum duas τοῦ λόγον ἔχοντος partes modo explicatas nominatim appellet, τὸ ἐπιθυμητικόν idem esse significat quod τὸ λογιστικόν, quae tamen natura sua sunt quam maxime diversa, cum altera sit facultas animi rationalis, altera irrationalis. utraque quidem, et τὸ ὀρεκτικόν et τὸ λογιστικόν, spectat res mutationi obnoxias, τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν, sed altera caeca appetitio est, altera consideratione utitur. Quae notionum maxime diversarum confusio in complures gravissimos errores auctorem doctissimum induxit. Veluti quod iam pergit: „So nun, nach ausscheidung der αἴσθησις und noch mehr des θρεπτικόν, sind es νοῦς und ὄρεξις, welche in ihrer verbindung die verbindung von πρᾶξις und ἀλήθεια bedingen,“ primum quidem νοῦν ὀρεκτικόν (1139. b. 4. §. 15) commemorare videtur, quod re vera facere debebat. sed ex eis quae insequuntur, apparet, νοῦν h. l. nihil significare nisi διάνοιαν θεωρητικήν (non λόγον, rationem totam et universam), itaque τὸ λογιστικόν (φρόνησιν etc.) omnino omissum esse, nisi errore illo rapti notionem ὀρέξεως complecti τὸ λογιστικόν cum Prantlio falso existimemus. Jam pergit: „der νοῦς, in seiner function auch διάνοια genannt, bewirkt das denkende urtheilen, κατάφασις und ἀπόφασις, und nimmt hierin das ἀληθές und ψεῦδος in anspruch, er ist die θεωρητικὴ διάνοια.“ Errat autem quod διάνοιαν esse functionem τοῦ νοῦ dicit. notio enim διανοίας comprehendit totum animum quatenus cogitat et considerat, itaque νοῦς, sicut omnes virtutes dianoeticae, functio est διανοίας. Deinde notiones inter se maxime diversas ita confundit ut προαίρεσιν et διάνοιαν πρακτικήν idem esse contendat, quamquam paullo supra etiam ὄρεξιν βουλευτικήν idem significare dixit quod διάνοιαν πρακτικήν. Sed omissis ceteris, quae refutare longum est, iam ad ipsam virtutum explicationem a Prantlio adhibitam accedamus oportet. Prantlius enim primum quidem ἐπιστήμην non esse virtutem dianoeticam his verbis demonstrare conatur: „sie ist wohl ἕξις ἀποδεικτική, aber dies ἀποδεικτικόν ist noch nicht das beste an sich, also keine βελτίστη ἕξις, also keine tugend, denn das verstehen des blossen συμπέρασμα genügt nicht (1339. b. 34.), denn die principien müssen mit erkannt werden; geschieht dieses, dann ist sie erst ἐπιστήμη κεφαλὴν ἔχουσα und ἀκριβεστάτη, d. h. der superlativ, dieser aber ist die σόφια, welche hiermit ἀρετὴ ἐπιστήμης ist.“ At iam supra exposuimus,

ἐπιστήμην nihilominus semper *ἕξιν* esse, qua homo verum nanciscitur, itaque virtutem (1139. b. 13.). Deinde Prantlius errat quod dicit: „sie ist nicht das beste an sich, also keine *βελτίστη ἕξις*," immo dicere debebat: „also nicht die *βελτίστη ἕξις* an sich." Aristoteles enim complures *βελτίστας ἕξεις* statuit et altiores et minores, itaque non omnes virtutes absolutum et perfectum bonum spectant, sed quod suum cuique bonum est. itaque *ἐπιστήμη* quoque habitus optimus est, quamquam secundum naturam suam atque indolem certis finibus circumscriptus. Deinde Prantlius cum scientiae nihil nisi facultatem conclusionis tribuat, veram *ἀρετὴν διανοητικήν* eam esse negat. Sed verba Aristotelea ab ipso Prantlio laudata haec sunt: „*ὅταν γάρ πιστεύῃ καὶ γνώριμοι αὐτῷ ὦσιν αἱ ἀρχαί, ἐπίσταται. εἰ γὰρ μὴ μᾶλλον τοῦ συμπεράσματος, κατὰ συμβεβηκὸς ἕξει τὴν ἐπιστήμην.*" Itaque dilucide Aristoteles scientiam in sola conclusionis cognitione positam esse negat. Prantlius autem *ἀρχάς* semper summa et absoluta principia esse ratus ab usitata *ἐπιστήμης* interpretatione recessisse videtur, cum hoc loco *ἀρχαί* nihil nisi causas rerum singulares significent. Sed a causis rerum fortuitarum et mutabilium ascendimus per innumerabiles cognitionis scientiaeque gradus ad principia summa et ultima, quae ipsa non amplectitur scientia. Sola autem *τοῦ συμπεράσματος* cognitio scientiam, i. e. *ἀρετὴν διανοητικὴν τοῦ ἐπιστημονικοῦ*, efficere nullo modo potest, quippe quae nihil nisi *δόξαν* vel *ὑπόληψιν* comparet, quae et vera et falsa esse potest, *ἐνδέχεται διαψεύδεσθαι.* (1139. b. 17.) Sed Prantl. *ἀρετὴν ἐπιστήμης* appellat *σοφίαν*, quae ad logicam cogitationem addat et adiungat cognitionem principiorum. At *ἀρετή* vel habitus optimus uniuscuiusque facultatis animi existere non potest quantitate notionis aucta sed qualitate consummata et perfecta. Scientia autem, quatenus virtus intellectualis, per se perfecta et absoluta est, quamvis fines cognitionis eius circumscripti et ad certum modum definiti sint.

Deinde Prantlius p. 13 de intellectu ita agit ut plerumque cum nostra intellectus interpretatione consentiat: „er ist das auge der seele für alle *ὅροι*, von welchen es keine begründung mehr giebt." Complectitur igitur et singulares res et universales, altera quidem parte *τῷ αἰσθάνεσθαι* similis, altera *τῷ θεωρεῖν.* itaque omnes functiones humanae intellectuales ab ipso oriuntur et eiusdem opera ad finem cognitionis ultimum perveniunt, ut ait Prantlius: „er ist anfang und ende zugleich, das wahre *Α* und *Ω.*" In eo tantum Pr. ab nostra explicatione recedit, quod summa actionis humanae principia tribuit intellectui agenti, *τῷ νῷ πρακτικῷ*: „er erfasst *τὰ καθ' ἕκαστα* und gehört somit zum practischen, dessen stoff ja das einzelne ist; er ist das *αἴτιον* (1112. a 33.), und insofern dies ein göttliches ist (1102. a 4.), enthält er die idealität des handelns in sich, ohne welche alles physische an sich schädlich ist."

Itaque Pr. contemplationem rerum singularium, quae sunt *τὰ φθαρτά*, divinam

esse contendit et ad aeternum et summum rerum exemplar omnes actiones revocare. At eae tantum actiones humanae ad exemplar aeternum et ipsas ideas revocandae sunt, quae non mutabilia et singularia, sed aeterna ct immobilia spectant. Neque tamen ea animi facultas actiones nostras et consilia ad idearum exemplar dirigere potest, cuius proprium et peculiare munus in rebus singularibus recte cognoscendis et diiudicandis positum est. Prantlius autem verba Aristotelea supra laudata ita interpretatur, ut ex eis (1112. a 33.) apparere dicat *νοῦν πρακτικόν* esse *αἴτιον*, ex his (1102. a 4.) *αἴτιον* esse *θεῖον*, ergo *νοῦν* quoque *πρακτικὸν θεῖόν τι* esse. At Aristoteles nusquam docuit, omne *αἴτιον* divinum esse. Quod per se quidem patet, quoniam omnis causa efficiens et ipsa materia *αἴτιον*, neque tamen divinae originis aut naturae est. Deinde l. l. (1102. a 4.) Aristoteles de eudaemonia agit, quam *τῶν τιμίων καὶ τελείων* esse dicit, quippe quae perfectum et ultimum principium (*ἀρχή*) actionum humanarum sit: „*ταύτης γὰρ χάριν τὰ λοιπὰ πάντα πάντες πράττομεν, τὴν ἀρχὴν δὲ καὶ τὸ αἴτιον τῶν ἀγαθῶν τίμιόν τι καὶ θεῖον τίθεμεν.*"

Itaque h. l. *αἴτιον* re vera divinum quiddam et caeleste significat. tantum autem abest ut omne *αἴτιον* divinum sit, ut saepius fere contrariam significationem exhibeat. Itaque Prantlius ne minime quidem convincit quod demonstrare studet, intellectum non esse virtutem dianoeticam. Nam quod dicit p. 10: „der *νοῦς* ist das unmittelbare, bei welchem als solchen noch gar keine rede von logik oder ethik (oder tugend) ist", id quidem recte monet, principia per intellectum concepta non esse alia cogitandi, alia agendi, neque functionem intellectus duplicem esse, et logicam et ethicam, sed unam et inseparabilem. Sed parum accurate addit verba: „(oder tugend)," notionem virtutis, ut nunc est, idem significare ratus atque Aristoteleam *ἀρετήν*. Id quidem iam supra demonstravimus, alia ratione intellectum coniunctum esse cum virtutibus dianoeticis atque ceteras inter se omnes, sed haec causa esse non potest, cur ipsum virtutem non esse concedamus, praesertim cum VI, 3 virtutibus intellectualibus ab Aristotele expresse adnumeretur et definitio virtutum (*οἷς ἀληθεύει ἡ ψυχή*) egregie cum natura eius consentiat. Deinde cum Aristoteles saepius (velut X, 7. 1177. a 12.) eudaemoniam esse *ἐνέργειαν κατὰ τὴν ἀρετὴν τὴν κρατίστην* explicet, et 1177. a 23. eudaemonem dicat *τὸν κατὰ νοῦν ἐνεργοῦντα*, apparet *νοῦν* esse *ἀρετήν* eamque *κρατίστην*.

Iam ad tertiam virtutem dianoeticam venimus, quam virtutem esse Prantlius negat, dico *τέχνην*: „die *τέχνη* ist keine tugend, aber es giebt eine *ἀρετὴ τέχνης*, d. i. in höchster instanz die *σοφία.*" His verbis Prantlius aut significare potest, *ἀρετὴν τέχνης*, si ad summum perfectionis gradum pervenerit, *σοφίαν* appellari, aut *σοφίαν*, si summam perfectionem nacta sit, *ἀρετὴν τέχνης* esse. Sed utraque verborum sane obscurorum

interpretatio ad errorem perducit, cum utraque summam perfectionem *ἀρετῆς*, i. e. *ἀρετὴν ἀρετῆς* constituat ab Aristotelis doctrina prorsus alienam. Quid autem quod ipse Aristoteles *σοφίαν* appellat *ἀρετὴν τέχνης* VI, 7. 1141. a 12.? Nonne ex his verbis dilucide apparet, Prantlium suo iure *τέχνην* virtutem esse negasse? Ac primum quidem Aristoteles l. l. non de eadem sapientia agit, quam virtutem intellectualem esse definivit. immo discernit veram et propriam sapientiae notionem ab pervulgata quadam et parum accurata. cf. Brandisii hist. philos. graec. II, p. 1445 (wenn wir absehen von dem sprachgebrauch, der wohl auch virtuosität in der kunst dadurch bezeichnet") cf. l. l. *τὴν δὲ σοφίαν ἔν τε ταῖς τέχναις τοῖς ἀκριβεστάτοις τὰς τέχνας ἀποδίδομεν, ἐνταῦθα μὲν οὖν οὐδὲν ἄλλο σημαίνοντες τὴν σοφίαν, ἢ ὅτι ἀρετὴ τέχνης ἐστίν. εἶναι δέ τινας σοφοὺς οἰόμεθα ὅλως, οὐ κατὰ μέρος κ. τ. λ.* Eam autem sapientiam, quam h. l. artificibus egregiis tribuit, prorsus alienam ab ea esse, quam virtutem dianoeticam *τοῦ ἐπιστημονικοῦ* appellet, vel inde apparet, quod versum illum affert:

τὸν δ' οὔτ' ἄρ' σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν οὔτ' ἀροτῆρα
οὔτ' ἄλλως τι σοφόν, πάσης δ' ἡμάρτανε τέχνης.

Deinde etiam ea *τέχνη*, cuius virtutem *σοφίαν* esse l. l. dicit, non est absoluta et perfecta illa *ἕξις* artis, quam denotat VI, 4, ubi de virtute intellectuali agit. Significat enim h. l. totam artis regionem, in qua versatur artifex et perfectam artis speciem, *τὴν τέχνην*, adipisci conatur. qui perfectam et summam artem assecutus est, is sapiens esse dicitur secundum communem et pervulgatum dicendi usum, qui sapientiam tribuit omnibus inter ceteros sive scientia litterarum artiumque liberalium sive peritia belli gerendi et reipublicae administrandae praestantibus. Quam notionum differentiam a Prantlio omnino neglectam esse sane miramur. Sed ut artem virtutem intellectualem non esse demonstret, iam ita pergit: „sie ist durch das ihr innewohnende intellectuelle eine *ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική* (sowie die *ἀτεχνία* eine *ἕξις μετὰ λόγου ψευδοῦς ποιητική*), und hiemit eine *ἕξις*, welche mit ihrem gegensatze zugleich eine andere wird, wie die praxis; aber eben in der wahrheit ihres motivs, im *ἀληθὴς λόγος*, besitzt sie ihre vortrefflichkeit, wenn sie eine solche besitzt, und es gibt daher eine *ἀρετὴ τέχνης*, welche in der reinheit und erhabenheit ihrer idealität liegen muss, d. h. dies ist die *σοφία*, während sie selbst demnach eben noch keine *ἀρετὴ* ist." p. 15. In qua argumentatione quae summi momenti sunt verba: „wenn sie eine solche besitzt," refutanda esse nemo dubitabit, qui quidem paullo accuratius secum reputaverit, eam praestantiam semper artem secundum definitionem habere. etenim si ars ex definitione non nisi *μετὰ λόγου ἀληθοῦς* est, quomodo *τὸν λόγον ἀληθῆ* omittere possit nescio, et si Prantlius suo iure dicat, praestantiam artis in eodem positam esse, iam definitio artis praestantiam postulat, ars igitur est *ἀρετή*. Hoc loco cum Prantlius

rectissime totam vim atque naturam virtutis dianoeticae in notione λόγου ἀληϑοῦς ponendam esse intellexerit, eo magis mirandum est, quod concedere dubitat, eam tantummodo ἕξιν διανοίας ποιητικῆς, quae ad perfectam pulchri honestique speciem omnia redigit, Aristoteli τέχνην esse secundum ipsam eius definitionem. Quid autem quod definitio φρονήσεως, quam Prantlius virtutem intellectualem esse confitetur, fere ad verbum cum definitione τέχνης, quam refutat, congruit? φρόνησις enim definitur ἕξις μετὰ λόγου ἀληϑοῦς. πρακτική, de qua Prantlius ita scribit: das moment des guten und bösen ist dieser ἕξις wesentlich, welche hiemit selbst entweder eine gute oder eine böse wird, im gegensatz gegen die für die ἐναντία einheitliche ἕξις des wissens.“ unde apparet, φρόνησιν facultatem animi esse quae prout aut bona aut mala efficiat, ipsa aut virtus aut vitium fiat. itaque non ἀρετή est, sed δύναμις ἀρετῆς. tamen Prantlius φρόνησιν esse ἀρετήν asseverat. Fortasse dicere voluit, etiam διανοίας πρακτικῆς esse habitum quendam, qui non virtus sit. sed eum non magis φρόνησιν appellamus, quam iustitiam, quia etiam iniusti homines sunt, ipsam aut bonam aut malam esse dicimus. In eo enim vis et natura ἕξεως est, ut certus quidam et definitus et constans habitus sit, qui contrarium excludit. Itaque et de prudentia et de arte Prantlius perverse disputavit. Quae Prantlius praeterea addit de sapientia et de prudentia, quas solas virtutes dianoeticas esse contendit, cum nostra explicatione fere omnia ita consentiunt, ut hoc loco praetermittere possimus.

